I

WBP
Opole

TERTIA PARS

CHRONICI CARIONIS, A CAROLO MAGNO, VBI PHILIPPVS MELANTHON desijt, vsque ad Fridericum Secundum.

Exposita & aucta

A

CASPARO PEVCERO.

WITEBERGÆ
Excudebat Matthæus Welack.

Anno M. D. LXXXII.

WiMBP
Opole

I

105 st.
104 st. 104/III

699
Akc V Nr 30/63/C

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO *PRINCIPI AC D. DOMINO* SIGISMVNDO *Archiepiscopo Magdeburgensi, Primati Germaniæ, & Administratori Halberstadensi, Marchioni Brandenburgensi, Duci Pomeraniæ &c. Burggrauio Noribergensi &c. Domino suo Clementissimo,* S. D.

DE operibus pictoris Apellis Plinius tradit, diuum Augustum in delubro patris Cæsaris versibus Græcis dedicasse Venerem exeuntem è mari, quam ἀναδυομένην vocant, ab Apelle pictam, cuius inferiorem partem corruptam, qui reficeret, non potuisse reperiri: Inchoasse verò Apellem & aliam Venerem Cois, vt superaret illam priorem, sed inuidisse mortem peracta parte, nec qui succederet operi ad præscripta lineamenta inuentum esse. Quanto fuit in hac parte beatior Apelles, quàm vir reuerendus Philippus Melanthon, piæ sanctæq; memoriæ, Præceptor, Patronus, socer, & pater omni mihi reuerentia in perpetuum colendus. In illius enim operibus, adeò qui notare aliquid vellet, repertus

est nemo, vt qui de mutilis absoluendis polliceri quid auderet, non sese obtulerit quisquam: Huius sancti, Ecclesiæ & Reipub: vtiles & æternitate digni labores, qua petulantia exagitentur & lacerentur, palàm est.

Reliquit is autem Chronici sui opus imperfectum: de quo quæ extant, etsi qualia sunt, quantoq; sint studio iudicioq; scripta, quanta prudentia, simplicitate ac perspicuitate elaborata, deniq; quanta dexteritate ad vsum in vita communi accommodata, res docet: tamen quæ nunc est audacia & impudentia multorum, futuros non dubito, qui & in hoc genere, vt in alijs, cum eo superbè certare audebunt. Hos, quicunq; illi fuerint, monere mihi ipsorum pace liceat, ne is, qui, vt Plinij verbis vtar, successerit operi ad præscripta lineamenta attexturus quæ desunt, somniet suas additiones partes priores artificis facilè in hoc genere primi obscuraturas esse,

Relicta est enim pars operis penè difficilima, in qua dicendum erat de mutationibns, quas perpessa est Ecclesia, de inuectis in eam accumulatis abusibus atq; idolatrijs, de abolita memoria legis diuinæ, superstitiosa obseruatione traditionum humanarum, de obruta multipliciter puriore doctrina Euangelij, & extincta penè vera DEI inuocatioue, de conditis nouis dogmatibus

gmatibus, & institutis contra mandatum DEI cultibus, & sancitis legibus impijs de conuerso ministerio verbi in monarchiam politicam, & rapta atq; occupata à Pontificibus Romanis tyrannide in Ecclesia & Imperio: Erat & de occasionibus harum rerum, deq; initijs ac progressionibus aliquid explicandum, & collatio dogmatum primæ & purioris Ecclesiæ ac recentis Romanæ facienda, & vtraq; ad normam verbi diuinitùs tradidi exploranda.

Præterea celebranda erat & illustranda sapientia, virtus, pietas ac felicitas nostrorum Principum, quorum multi excitati & adiuti diuinitùs gesserunt res orbi Christiano salutares domi forisq;, repressis externis gentibus, & orbe Christiano pacato. Aliqui enim Imperium Occidentis, velut de collectis ex naufragio tabulis instaurarunt, vt Carolus Magnus: Aliqui à maioribus acceptum amplificarunt, vt Henricus Auceps, Otto Magnus: Aliqui possessionem imperij Germaniæ tradiderunt & confirmarunt legibus & virtute, vt Otto Tertius: Aliqui dignitatem & maiestatem Imperij, contra efferentem sese atq; in summa enitentem Pontificum rabiem ac tyrannidem, armis & autoritate defenderunt, vt Henricus Tertius & Quartus. Et quanquam Pontifices religionis impio & falso præ-

textu, hoc sceleratis artibus & crudelibus seditionibus oppugnato atq; euerso, successores quasi in seruitutem redegerunt: secuti sunt tamen, qui penè profligatam atq; proiectam Imperatorum autoritatem vindicare rursus atq; asserere sunt conati, vt Ludouicus Bauarus, Henricus Septimus, & alij: Aliqui ex Europa bella transtulerunt in Asiam aduersus Turcos, & Saracenos, vt Godefridus Bilioneus Lotharingiæ Princeps, Conradus Tertius, Fridericus Primus, & Fridericus Secundus Imperatores: Inter quos Fridericus Primus omni laude dignus Princeps plurimum consuluit publicæ paci & tranquillitati in Germania: Secundus nepos eius augescentem potentiam Turcorum tunc velut in herba concidisset, nisi eum Pontificum perfidia velut ex medio victoriarum cursu retractum, nouis seditionibus implicasset.

De his tantis rebus quàm sit difficile ex falsis, suppositicijs, tyrannicis & impijs recentiorum Canonum decretis: & intricatissimis labyrinthis doctrinæ Scholasticæ, & mendacibus, ac superstitione refertis commentis Monachorum, quæ aliena sunt à norma & analogia fidei Christianæ: deniq; ex ijs, quæ ab assentatoribus Pontificum aut non bona fide recitata, aut calumniosè depraua-

ta sunt vel ex mutilis, obscuris, confusis, sæpe discrepantibus annotatis cæterorum, qui res gestas Imperatorum memoriæ prodiderunt: Ex his igitur quanti sit iudicij, doctrinæ, experientiæ, excerpere insignia, vero consentanea, vitæ communi vtilia, & ea rectè explicare, ita vt monstrentur veri fontes & causæ mutationum, quæ in hæc tempora inciderunt maximæ, sapientes intelligunt.

Vtinam DEVS vitam concessisset longiorem Philippo ad hæc pertexenda, in quibus superaturus priora fuisset. Nam & Labyrinthos Scholasticos doctrinæ peruestigârat, & totam sinceriorem antiquitatem perspexerat, & de rerum in Imperio gestarum momentis, causis, occasionibus, prudenter poterat iudicare, vt de orationis perspicuæ facilitate, & dotibus in eo cæteris, ad rem tantam necessarijs, taceam. Sed negauit Deus ingrato seculo lucem historiæ de ijs temporibus, quibus ob confusiones religionum & Politicæ potestatis, atq; negligentiam scriptorum, maximè opus erat sapienti, erudito & exercitato scriptore.

Illi rebus humanis exemto ego in pertexendo opere successor datus sum, qui si vt operæ, atq; laboris, ita doctrinæ, iudicij, prudentiæ, & perspicuæ planæq; orationis hæreditatem simul adijssem, minus repugnassem voluntatibus

meorum collegarum, & de me etiam minus laborassem: Sed cum nihil istorum in me sit, cessi tamen autoritati illorum, qui rem tantam mihi imposuerunt, non quòd considerem, nauare me aliquid aut afficere posse his rebus dignum: sed quòd persuaderer, me, quæ desint abijcere debere, quòd autoris de multis rebus sententiam hisce annis quindecim, quo cum eo vixi, cognouissem, & multa ex sermonibus familiaribus quotidianis meminissem posteritate digna: in quibus si non satisfacerem omnibus, eo minus tamen mihi periculi fore, quod non expectaretur aliquid priori simile.

Obsecutus ergo & mandatis illorum, & multorum aliorum votis partem eius historiæ, quæ adhuc restat, paucis vt Chronico conuenit, descripsi, quæ complectitur annos circiter quingentos, à Carolo Magno vsq; ad Fridericum Secundum: De hac si, vt futurum spero confidoq;, & vt fiat, opto precorq;, fuerit iudicatum candidè, excitabor ad reliqua maiore cura perscribenda: Si acerbior in eam censura acta fuerit, existimabo nihil mihi accidisse noui, & communi me fato multorum bonorum, ac meæ voluntatis testimonio consolabor, quòd ex discrepantia & confusione magna studuerim elicere vero maximè consentanea, quantum omnino in tanta recentium

recentium scriptorum negligentia fieri potuit: Cuius culpa si quis erret quandoq; aut impingat, mirum prorsus non est. Ideo bonos omnes & candidè iudicantes, erroribus veniam spontè daturos omnino mihi persuadeo: Cæteros Aristarchos seueriores, vt idem faciant, reuerenter oro. Si quem offenderit notatio durior Pontificum Romanorum, is cogitet Sophocleum illud:

Ἀπ' ἔγρων οὐ καλῶν οὐκ εἰσ' ἔπη καλά.

Mitto autem & hanc partem ad Celsitudinem tuam, Illustrissime & reuerendissime Princeps, cùm propter easdem causas, quæ recitatæ sunt in prioribus partibus: tùm quòd scio Celsitudinem tuam magno studio versari in lectione & cognitione historiarum, idq; agere, vt velut Ideam rerum præcipuarum animo comprehendat cum serie temporum: Ad quod consequendum spero hanc qualemcunq; χειραγωγίαν aliquid Celsitudini tuæ profuturam esse, quam vt clementi animo suscipiat, meq; suo patrocinio complectatur, ea qua par est animi subiectione peto, & simul oro, vt Celsitudo tua honestas doctrinas & rectè docentes contra rabiem Sophistarum, qui doctrinas & disciplinam delere conantur, tueatur.

Inijt iam periodus quingentesima postrema secundum dictum Heliæ prophetæ, de qua voce

diuina prædictum est vtrumqj, quòd & dogmatum atq; opinionum confusiones maiores in Ecclesiam inuectura, & imperiorum paritura sit collisiones inter sese maiores, & tamen Deus seruaturus sit Ecclesiam aliquam, vsq; ad gloriosum aduentum Filij sui Iesu Christi. Horribiles ergo impendent mutationes omnibus regnis & Ecclesijs, quæ ne barbaricam vastitatem afferant his regionibus toto precemur pectore.

Oro igitur Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum,, crucifixum pro nobis et resuscitatum, vt semper Ecclesiam sibi inter nos colligat, eamq; gubernet ac protegat: & tueatur Celsitudinem tuam vt diu salutari gubernationi & defensioni doctrinarum ac publicæ pacis superstes sit.

Bene & feliciter valeat Celsitudo tua. Datæ Vvitebergæ, Nono Calendas Martij, qui dies natalis fuit Illustrissimo Principi Ioachimo primo Marchioni Brandenburgensi Electori, auo tuo: Anno 1562.

Celsitud: tuæ
deditissimus
Casparus Peucerus
D.

LIBER

LIBER QVARTVS CHRONICORVM.

CVM LIBER CHRONICORVM quartus oriendus esset ab ea Imperij Romani mutatione, quæ Occidentem ab Oriente auulsit, & Occidenti peculiares gubernatores dedit, inter quos primi fuerunt Franci, qui Imperium armis partum, virtute ac sapientia constituerunt, oppressis Longobardis in Italia, cæteris vicinis gentibus aut repressis, aut domitis atq; in seruitutem redactis: existimaui non alienum fore à proposito, si initiò velut per ἀνακεφαλαίωσιν, *ex ijs mutationibus quæ Imperium Occidentis euerterunt, repeterem pauca quædam, & de gentibus in Europa, quibus cum* CAROLO *fuit dimicandum, & de Germaniæ statu imprimis, quæ* MONARCHIAM *tandem ad se traxit, & huc vsq; obtinuit.*

Romanum Imperium, quod maximas Asiæ, Europæ & Aphricæ partes comprehenderat, intestinis bellis præcipuè fractum atq; enarratum, cæperat prædæ esse ac direptioni multo ante illam sub CAROLO *mutationem, partim exteris gentibus, vel inui-*

inuitatis conductisue mercede ad bellorum societatem, vel sua sponte infusis: partim subditis ipsis, odio impotentis, superbæ aut libidinosæ dominationis Præsidum, in libertatem sese vindicantibus.

Asiæ & Aphricæ maximam partem Imperatoribus Constantinopolitanis ereptam subegerat potentia Mahometica, noui ac blasphemi dogmatis horribili furore, velut flammis subidi incendij momentaneo volatu sese diffundentis propogata celeritate tanta, vt penè citius prehenderit omnia, quam animaduersa sit sese commouere. Et haud scio, an vllius regni potentia inualuerit celerius: cùm sese paucorum annorum spacio in præcipuas Asiæ Aphricæq; prouincias, quæ Romanis paruerant, extenderit, & his adiecerit alias regni Persici, sumto initio ex Arabum vaga & latrocinijs dedita gente: In mare etiam ingressa plurimas insulas maris mediterranei edomuerit, & per Hispaniam Gottis, qui Vandalis, Alanis, & Sueuis debellatis antè totam suam fecerant, aut cæteris imperitabant, partim deletis, partim coactis in eas angustias, quas sepiunt ac concludunt montes Cantabrorum, Austurum & Callaicorum. Vt inde ergo penetrarit in ipsas Gallias, vbi vix magna cum difficultate, virtute Francorum tandem retusa est atq; depulsa.

In Occidente Italiam Vandali, Gotti, Hunni, Longobardi: Hispaniam, vt dixi, Vandali, Alani & Sueui, & deinde Gotti; Galliam Gotti & Burgundi, tan-

tandemq; oppressis vtrisq; Franci: Pannoniam Gotti & Hunni: Germaniam veterem Rheno vicinam, & Rhetorum, Vindelicorum ac Noricorum terras, ex vlteriore Germania progressi noui coloni, & rursus ab his desertas sedes gentes Sarmaticæ ac Henetæ, iuris sui ac ditionis fecerant.

Britanniæ partem humiliorem Angli, è Saxonibus accersiti ad defensionem Insulæ contra Pictos Scotosq; Germanorum gentes colonis prioribus eiectis: Alteram sublimiorem & in Septentrionem elatam Scoti occupârant, nomen à Sagittandi peritia adepti.

Mysiæ verò Thraciæq;, & Triballorum ac Dardanorum finibus immimebat ex vicina Sarmatia potens gens Heneta, quæ semel commota non quieuit, nisi postquam regiones appetitas nouis colonijs Rasciorum, Bulgarorum, Bosnensium & Seruiorum, compleuit.

Quàm fuerit ergo angusta ac tenuis potentia imperij Byzantini tot spoliati prouincijs, & assiduis præterea attriti ex parte vna Saracenorum incursationibus, ac Turcorum, qui ex angustijs Caucasi montis effusi in anteriore sese Asia paulatim confirmabant: ex altera Sarmatarum infestis irruptionibus ac populationibus, calamitates, quæ sequutæ sunt ostendunt. Idcircò cum Italia per annos trecentos & amplius à peregrinis gentibus bellis continuis diuexata, segniterq; defensa à Græcis, & tandem horum auxilijs

prorsus

prorsus destituta, quòd vix sese tueri possent. Sarácenos, qui aucti imperio, maris littora aliquoties ex vicina Sicilia tentârant, metueret, & odisset Longobardos, quòd opressionem Italiæ molirentur, attraxit contra vtrosq; Francos, qui sedibus in Gallia fixis ac stabilitis, etiam magnæ parti Germaniæ dominabantur. Hæc de re postea plura dicam. Nunc qualis tunc fuerit Germania, & à quibus culta sit atq; habitata gentibus, paucis exponam. Longè enim alij tunc fuerunt limites Germaniæ, quàm antiquitus & quàm nunc constituuntur. Alia etiam quam nũc est, fuit Romanis temporibus Germaniæ primæ seu superioris à secunda seu inferiore distinctio, quas Vbiorum & Tungrorum potentes vrbes secludebant: Et CAROLI MAGNI ac successorum virtute limites Germaniæ versus omnes mundi cardines prolati sunt.

Veterem Germaniam longo tractu à Rheno Danubioq; tendentem versus Septentrionem ad Vistulam vsq;: Ad Meridiem verò vltra Tyram amnem porrectam penè vsq; ad Boryslenem & Danubij ostia definiunt Geographi veteres vtrinq; ora littorali maris Baltici Sueuiciq; & Herciniæ, Sudetis, Carpatho, ac Sarmaticis montibus, qui continuo iugo, alicubi quidem nonnihil in sese subsidente, sed nulla longa planitie interrupto, excurrunt in Septentrionem ab Alpibus, quæ sunt montium in Europa parens, vt Caucasus est Asiaticorum, Atlas Africanorum.

In

In hunc tractum Plinius quinq; genera Germanorum collocat, non annumeratis Vindelicis, Rhetis & Noricis ab Occasu: neq; ad Ortum additis Gottis & Dacis. Nominat hos autem, Vandalos, Ingeuones, Istcuones, Hermiones, Peucinos, quibus coniungit Bastarnas. Tacitus & hos ipsos enumerat Germaniæ incolas, non tamen seruata eadem distinctione gentis: & plurium appellationes recenset, quos origine Germanicas esse sonus, cognatioq; & ἔτυμον indicant.

Ingeuonum & Vandalorum nomina non petitis procul deriuationibus, nec assumto Etymo alieno aut violenter detorto, conijcio contraria esse. Ingeuones, sono significatoq; suffragante, significant indigenas seu αὐτόχθονας, quasi Inwoner. Vandali aduenas & peregrinos, & nouos homines. Vuandeln enim Germanica lingua vsitatissima & notissima, idem est quòd peregrinari. Nec repugno, si quis Vandalos ideo nominatos existimet, peruulgata his temporibus consuetudine, & significato vsu trito, quòd negotiorum & mercimoniorum commutandorum causa, longa susceperint itinera & diuersas obierint terras: Vt Ingeuones fuerint coloni & augricolæ, qui colenda terra domi: Vandali verò negotiatores, qui euehendis inuehendisq; mercimonijs alibi victum quæsiuerunt.

Hermionum vox bellatorem sonat: hac indicatam iudico partem gentis deditam militiæ, indeq; viuentem

uentem quòd vetustissima consuetudine Germanica militarit, & suis & alienis stipendijs, domi forisq;.

Isteuonibus nomen dedisse cardinem Occidentis, mutilato κατ' ἀφαίρεσιν principio, non habeo cur dubitem. Fuerunt enim Germanorum ad Occasum vltimi, Rheno Danubioq; proximi: nec aliud significant Isteuones, quàm Vuestuuorner detracta litera Vu, sicut nunc Vuestualen nominantur, quorum sedes ad Rhenum vsq; pertingunt. Scio alias esse aliorum coniecturas, vt Beati Rhenani, quem nonnulli sequuntur, sed singulis suas relinquo rationes & sua iudicia: Mihi placuit sequi & retinere Etymologias, quæ vel naturam, mores & ingenia gentis, vel sedes habitatas exprimerent, nec à natiuo sono vocum procul discederent.

Peucinos & Bastarnas Dacis proximos Plinius facit & Tacitus, qui Fennos Venedosq; Henetam gentem admiscet. Ibidem eosdem Plutarchus reponit Galatis additis. Galatarum vox eadem est, quæ Celtarum: & retinemus, vtramq; exigua mutatione in nostra lingua hodie, qui communiter peregrinos omnes Vuallen & Vuelsche, id est, Galatas & Celtas & Belgas nominamus. Peucinos nominatos esse Bastarnas, postquam insulam Peucen ad ostia Danubij sitam occupassent, Strabo prodidit. Peucinos ergo postremorum seu Germanorum seu Galatarum, ad Danubium eam partem fuisse conijcio, quæ versus Ortũ ad ostia Danubij habitauit proximè: Bastarnas cæteris

ris remotiores, voce id monente, Bastarnæ enim significant nostra lingua aratores seu colonos Occidentales, Vuestarnen, vel respectu cæterorum Germanorum Occidentalium Ostarnen.

Ingeuones ergo Plinio his includente Cimbros, Teutones & Chaucorum gentes, antiquitùs comprehenderunt eas gentes, quas Frisios hodie, Danos, Holsatos, Ditmarsos, Vuestphalos, & Saxonum partem maximam, nominamus.

Vandali, quibus subijciuntur Burgundiones, Varini, Carini, Guttones, tenuerunt sedes Polonorum ad Vistulæ caput, & Megelburgensium, Pomeranorum, Marchicorum, Prutenorum, & Saxonum ex parte.

Ad Isteuones rectè referuntur Sicambri, Pataui, Mattiaci, Tencteri, Vsipij, Bructeri, Chamaui, Angriuarij, Tubantes, Busacteri, Vangiones, Nemetes, Vbij, pars Saxonum, & hodie Franci, Sueuiq;, & Rheni Danubijq; accolæ.

Hermionum nomine comprehenduntur Sueui, Hermunduri, Catti, Cherusci, Nariſci, Marcomanni, Ligij, Arij, Elisij, Quadi &c. Horum ergo sedes hodie obsident & incolunt, Turingi, Misnenses, Boiemi, Lusatij, Silesij, pars magna Polonorum, Moraui: Reliqua Lituanorum & ex parte Rutenorum ac Vualachorum, partim Iazygas, partim Bastarnas habuerunt colonos.

WBP Opole

Germanicarum gentium, quarum meminerunt CORNELIVS TACITVS ET PTOLEMÆVS, appellationes ferè hæ sunt:

Teutonum nomen vt Germanorum, & totius gentis fuit, sicuti & hodie est, & certæ partis. Id à Tuiscone conditore gentis deriuant, de quo omitto fabulas Berosi. Illud verò consentaneum est, Gomer filium Iaphet autorem fuisse gentis Cimbricæ, quæ non exiguam Septentrionis partem in Asia, atq; Europa compleuit. Huic fuit Filius Ascanes, à quo orti & propagati traduntur Tuiscones, quasi de Ascane nati. Germanos dictos arbitror, quasi Hermenner, id est, viros militares: etsi hæc appellatio apud Herodotum etiam reperitur inter gentes Asiaticas, qua de re postea dicam. Omninò vetustiorem esse Germanorum appellationem puto, quàm vt à Romanis orta primùm atq; profecta sit.

MARSI nomen adhuc hodie Saxonibus vsitatè Epirum significat, id est, continentem mari contiguam, vel terram humiliorem ac palustrem. Inde Marsos appellatos conijcio maris accolas, quasi Epirotas, ad differentiam Holsatorum, nemora & continentem incolentium. Inde sunt Ditmarsi, Stomarsi, Vuistermarsi, & Crampermarsi, Vtriusq; gentis nomen & Teutonum & Marsorum, quorum in Sylla meminit Plutarchus, coniunxerunt hodie Ditmarsi, quos, vel propter nomen, Teutonum & Marsorum veterum reliquias esse iudico. Illa enim loca obtinuerunt, & vi-

& vicini fuerunt Cimbris, à quibus est Cimbrica Chersonesus, quam nunc Daniam vocant, à colonis Danis, profectis in ea loca à ripis Istri multò pòst & Danomarchiam à præfectura limitanea, quam ad coërcendos & reprimendos Danos instituit perpetuoq; muniuit præsidio HENRICVS AVCEPS.

Marsorum & Cimbrorum latera versus mediterranea clauserunt Gambriuij, vbi Holsatorum regio est, quos quia ad ripam Albis Borealem habitarunt, postea, Nordalingos ante inuectum Holsatorum nomen vocarunt. Hæsit Gambriuiorum appellatio in eo tractu, qui est circa Hamburgum, sicut multarum regionum limites vel expressas veteres appellationes vel cognatum aliquid retinuerunt: Nec Hamburgum aliud exigua mutatione sonat, quàm Gambriuium.

Vandalos Gotticam gentem fuisse Procopius author est: eosdem lingua Germanica vsos esse, & à Germanis oriundos fuisse, moueor appellationibus, quæ Germanicæ prorsus sunt, & alijs rationibus. Etymon vocabuli quod putem esse recitaui antea. Sed quæ de Gambriuio, Sueuo & Vandalo, Berosus & Tacitus fabulosè commemorant, repudio.

Inter Herciniam syluam, Rhenum & Menum amnes, Tacito sederunt Heluetij & Boij, quos Gallicis gentibus annũerans Celticas intelligit. Celtas enim

veteres vocarunt vno nomine Gallos & Germanos, qui à Pyreneis montibus ad Pontum vsq; longo latoq; tractu habitârunt. Boij cum in Cisalpina Gallia inter Alpes & Padum omnia tenuissent, Bononiam extruxerunt: inde pulsi commigrârunt in Germaniam, occupata amœnissima valle penè in Germaniæ medio, quam cingit pars Hercinij saltus, quam Gabretam vocant, & Sudeti montes. Hæc vallis Boiorum nomen semper retinuit, quanquam sæpè mutatis colonis. Nominatur enim apud Tacitum Boiemum: Apud Paterculum Boiohemum, quasi Patria vel sedes Boiorum Boien Heim: Apud Strabonem Bubiemum. Fugatis inde Boijs Marcomanni Maroboduo duce successerunt in vestigia eorum & appellationem: Et his rursus exturbatis, gens Heneta, quæ in locum subijt, idem nomen consensu vicinarum gentium vsurpauit. Veteres Boios, qui à Marcomannis eiecti trans Rhenum habitârunt, & in agrum Noricum transierunt, Cæsar collocauit in finibus Boiorum. Marmanni hæredes nominis & terræ Boiorum, tandem migrare coacti assumtis Nariscis & Hermunduris, transmisso Danubio, Norici & Rhetiæ magnam partem ad Alpes & Athesin vsque occuparunt: Vnde Bauarorum appellatio manauit, quam vel Boiorum & Auarorum vicinorum coniunctæ voces, vel crassior ac plenior pronunciatio solius nominis Boiorum peperit.

Helue-

Heluetij fortè nomine ijdem, qui nunc Alsati. Heluetiorum Eremus Martiana sylua est in Marchionatu Badensi.

Hercinia sylua continuo tractu ab Heluetijs, Venetis & Rauracis, ad Dacos vsq; sese antiquitùs extendit, cuius initium qui se vidisse vel audisse dixerit fuisse neminem, vel si dierum sexaginta inter processisset, Cæsar scripsit. Hodie Hercinia vocatur sylua, quæ latus Turingiæ & Saxoniæ claudit, Boëmicis contigua montibus: Alibi nominatur Saltus Turingicus. Nomen non aliunde nisi à picis factum est arboribus. Martianæ sylvæ nomen, quod apud Marcellinum est, Ptolemæo verò Eremus Heluetiorum vocatur, Sueuis hodie der Schwartzwald, etiam à pice ductum esse videtur, sed deprauatum peregrina pronunciatione minus cum Germanico congruit.

Treuiri populi medij inter Germaniam primam & secundam, dirimente vtrumq; Mosella amne, Romanorum distinctione, postquam in prouinciæ formam eas terras redegissent. Metropolis gentis nomen retinet, olim Augusta Treuirorum, celebrata versibus Ausonij.

Rauraci Basilienses sunt: Augustæ Rauracorum nomen conseruauit tenuis supra Basileam vicus Augst.

Mediomatricum sedes in diœcesi Metensi fuit & parte Vuestrichij, cui appellatio Occidentalis re-

gni tributa est CAROLI MAGNI tempore vt ab Orientali regno discerneretur, de quo adhuc Austriæ nomen reliquum est, Osterreich. Antiquitùs quæ nunc Lotharingia & Vuestrichium dicitur, Austrasiæ nomen habuit, cum Neustria corruptè pro Vuestria vocaretur is tractus, qui nunc Franciam & Normandiam complectitur.

Triboci & Triboces hodie sunt Alsati circa Argentoratum.

Nemetes, Spirenses. Spira videtur Græcum nomen esse, quæ vox cohortem Prætoriam significat, quòd in eam vrbem Constantinus, à quo vel condita vel ornata est, cohortem Prætoriam collocauit, velut in speculam, ad custodiam ac defensionem totius vicinię. Cum enim in locis Spiræ vicinis diu commoratum esse cum exercitibus Constantium constet, neq; absurda est, neq; aliena à veritate historica coniectura, Spiram nomen adeptam esse à Græcis cohortibus: Ladeburgum, quod sedes est Episcopi Vuormatiensis, à castris Latinis Heidelsheimium ab Helena Constantij coniuge, & magni Constantini matre: Brettam à Brittanis, qui cum Helena Constantium secuti sunt. Sunt & alia Romanorum exercituum ad Rhenum monumenta, vrbes scilicet, quæ Latina nomina conseruarunt: vt à Bachi ara, Baccheracum: à Traiani domo, Drechsusen: Ab ara Lunæ Arluuum, Colonia Agrippina.

Vangiones,

Vangiones, Vuormatienses, Vom Geu. Vogesus mons qui Vangionibus imminet ad Lotharingiam, Vuasgau: vbi tractus ad Mosellam hodie Hundsruck. Apud Ptolemæum enim Mosella fluuius vocatur Obrinca: Vnde regio, per quam labitur, nomen contraxit. Berbetomagum in Vangionibus vetustißimum oppidum Vuormbs.

Ex aduerso Vangionum fuit Intuergorum sedes antiquitùs, quæ regio postea Capellatium & Pallas vocata est, vnde nomen extitit Palatinorum: hodie tractus circa Heidelbergam.

Vbij regio circa Coloniam, die Eyffel.

Mattiaci, seu Cleuenses sunt, seu Seelandi. Sed de his inferius dicam, nunc ad mediterranea reuertor.

Decumates agri, in confinio Germaniæ Rhetiæq; fuerunt Rheno Danubioq; inclusi, vbi Ptolemæus collocat Charitinos populos, qui hodie sunt in Ducatu Vuirtebergensi.

Post Decumates agros intra Rhenum, syluam Herciniam & montes Abnobios, qua ceu interlabitur Menus, vicinæ fuerunt gentes Catti & Vsipetes, qui Vsipij vocantur, & Vispi à Ptolemæo, & infra vtrosq; Tencteri, qui sunt Tungri Ptolemæo.

Catti ijdem sunt qui Hessi: Horum limites ad Occidentem consentaneum est fuisse Cattenelnbogē, quæ vox seu Cattimelibocos hoc est, Cattos à Meliboco progressos ad Rheni ripam seu Cattorum Anconem

 significat,

significat. Nec à Cattorum appellatione dissonat Ottenwald, *quasi* Cattenwald, *hoc est, saltus Cattorum. Possederunt autem Catti quidem Hassiam superiorem seu Montanam versus Saxoniam. Buchoniam item & Franconiam circa Vuirtzburgum: Comitatum Hennebergensem cum vicinæ Turingiæ parte: Vsipetes verò reliquam Franconiam prope Decumates agros usq; ad Rheni Meniq; confluentem, & ad vtramq; Rheni ripam, vbi hodie sunt Ringouia, Vuedorauia. Vuesterwaldia: Sic enim vocant Herciniæ tractum, tendentem in Occasum per montes Abnobios, das Heßische gebirge. Celebratur apud Græcos Nili nomen, quòd exprimat numerum dierum anni: idem multò concinnius præstat dictio Menus: quod eleganter his versibus monuit* PHILIPPVS MELANTHON.

ἴσοχα σῶν ἄλλων τὰς φοίβυ φράγκε ποτείας
μάνθανε, ὀυζανίους καὶ θεὸς ἔργα φορᾶς.
ὅπι ἔτους σωόλου ἔλκει τόσα ἤματα κύκλῳ,
τὸ ποταμὸ φράζει τ' ούνομα ὑμεδάπου.

Discite præcipuè Solis motumq; viasq;,
Vos quibus est patrium Francica terra solum.
Namq; dies totus quot traxerit ambitus anni,
Id fluuij vestri vox benè nota sonat.

MENOΣ

M	40.
E	5.
N	50.
O	70.
Σ	200.

365.

Tenckeri infra Cattos & Vsipetes dextram Rheni ripam incoluerunt, Rheno tantùm ab Vbijs distincti, vbi sunt Ducatus Cliuensis & Bergensis, cum aliquot Comitatibus. Pars horum Rheno transmisso, Tungris in Belgico originem dedit apud Cæsarem.

Angriuarij antiquitùs sedes habuerunt ad Albim, vbi vetus Marchia est. Oppidum Angermundum ad confluentem Anagri & Albis, gentis nomen retinet. Postea in Bructerorum loca emigrarunt, vt Tacitus refert. Engern in Vuestphalia ad Amisi caput & Visurgis Lippiæq; ripam.

Chamaui pars Vuestphalorum ad Osnaburgum & Monasterium.

Cattuarij Cattorum pars circa Cassellas, versus Gottingam & Padebornum, vbi est aditus ad Vuestphaliam à montibus Abnobijs.

Frisij nomen retinent, & sedes antiquas ad mare. Secundum Ptolemæum enim τὼν παραλιανίων κατέχουσιν. Hodie distinguuntur in Orientales & Occi-

Occidentales, flumínibus Amiſo & Albi concluſi, medio Viſurgi diremti, Oſtfriſen & Vueſtfriſen.

Cauci minores ad Viſurgin fluuium, vbi Brema vrbs, Ptolemæum Phabiranum, itemq; Epiſcopatus Vuerdenſis & Mindenſis.

Cauci maiores ad Albim, vbi Ducatus Luneburgenſis, & vetus Marchia.

Cimbricæ & Cherſonenſi extrema tenuerunt Cimbri, dorſum Saxones, quorum in hac ora ante Ptolemæum non meminit Tacitus ſcriptor antiquior. Ibidem Nordalbingorum ſedes ſuperioribus fuit annis, olim Teutonum, Marſorum & Gambriuiorum: Hodie verò regio eſt Ditmarſorum ac Stormarſorum. Ptolemæus Saxonibus ſubiungit multas gentes vſq; ad Sueuum fluuium, qui nunc Sprea eſt, vulgatiſſimo fortaſſe errore plurimorum Geographorum de Sueui alueo. Plerique enim hunc peculiari alueo ducunt in mare Boreum per ea loca, in quibus eſt Ducatus Megalburgenſis.

Non dubito autem Sueuorum ſitum veterem rectè explorare volentem, ad hanc quanquam aberrantem Sueui fluminis derivationem oportere reſpicere. Oritur autem Sueuus in montibus Sudetis, duobus ſupra meam patriam Budiſſinam milliaribus, & Luſatiam Marchiæq; partem emenſus, curſu à Septentrione in Occaſum reflexo, miſcetur Hauelo ad oppidum Marchiæ Spondam.

Reliquam Cimbricæ partem inter Cimbros & Saxo-

Saxones, vbi Holſatia hodie iacet & Iutlandia, quæ Gotarum nomen retinuit, quos & Vitas vocant, tribuit Ptolemæus Sabalingijs, vbi fortaſſe legendum, Albingij, id eſt, accolæ Albis. Deinde Sigulonibus ad Schleſuicum, Cobandis, Chalichalis ad Coldingam, Phunduſis & Charudibus ad Horuden.

Cheruſci Hercinię populi cum bona parte Turingorum adiacentium Semanæ ſyluæ, quæ Ptolemæo Cheruſcos à Sueuis diſiungit, die Hertziſchen, vbi ditiones ſunt Principum Anhaltinorum & aliquot Comitum Stolbergenſiũ, Mansfeldenſium, Schuuartzburgenſium.

Bructeri ſub Goslaria, vbi hodie der Brockersberg quem Melibocum nominant appellatione veteri: ſub quo Semana Sylua verſus Brunſuuigum & Halberſtadium, & mons Aſciburgius ad Aſcaniam, cuius nomen conſeruauit oppidum Aſchersleben. De Bructeris Lucanus: Venit accola ſyluæ Bructerus Hercinię. Bructeros Ptolemæus Buſactores nominat, & diſtinguit eos in maiores & minores.

Dulgibini, Ptolemæo Dulgumnij circa Brunſuuigam & Hildeſium.

Sueuorum ampliſſima & potentiſſima gens, intra ripam Albis Orientalem & Viadrum, ac mare Sueuicũ, quod Pomeraniã alluit, ad Sueuum Hauelũq; flumina latè regnauit. Ex his egreſſi terris ſeu ſponte ſeu coacti, nouas quæſiuerunt ſedes in Rhetia Vindelicia q; prouincijs Romanorum: quam migrationẽ Iv-

LIVM Cæsarem antecessisse Strabonis testimonio liquet, qui Sueuos ad Danubij fontes locat, quos Herodotus describens ait, ἴσῃ δ' ποταμὸς ἀξάμενος ἐκ κελτῶν μὲν πυρήνης πόλεως ῥέει μέσῳ χίλιων σταδίων ἐυρώπῃ. Aliter Plinius, qui inquit: Ortus hic in Germania iugis montis Abnobiæ, ex aduerso Rauraci Galliæ oppidi. Abnobam vocat locum fontis, quod nomen videtur esse factum ab eo, quod Germani dicunt, Ein Aw, hoc est, vallem cultam inter montes & saltus, In veteribus codicibus scribitur Arnobæ, quod ad locum scaturiginis propius congruit, qui dicitur, in der Bar. Fontes eius sunt ad pagum Eschingen, vbi non procul ab origine recipit duos riuulos magnitudinis eiusdem, quorum alter vocatur die Prigen, alter die Bregen: ab his vicina regio Pregena, quam vocem videtur Herodotus in πυρήνης nomen commutasse. A Sueuorum transitu in Rhetiam nomen acquisiuit oppidum Franconiæ Schweinfurt, quod Sueuorum traiectum significat, sicut à Francis Francofortum, à Cattis Hessisuè Ochsenfurtum. Strabo de Sueuis: τὰ δὴ σκίβων ἔθνη, τὰ μὲν ἐντὸς ὧν κη, τὰ δὲ ἐκ τοῦ δρυμοῦ, ὁμοφα τοῖς γέταις: μέγιστον μὲν τὸ δὴ σκίβων ἔθνος: Multas enim Sueuorum gentes recensent Tacitus & Ptolemæus. Tacitus videtur quosdam Aquilonares facere, vt Senones, Longobardos, Rudignos, Auiones, Anglos, Varinos, Eudoses, Suardones, Suithones: Quosdam Australes, vt Hermunduros, Nariscos,

riscos, Marcomannos, Quados: Alios Orientales, Pannoniæ, Sarmatiæq; finitimos, vt Lygios, Arios, Heluecones, Manimos, Elisios, Naharualos: Quosdam littorales aut maritimos, vt Guttones, Rugios, Lemouios, Suiones Æsthiones, Sitones. Sed neq; an hoc velit, certò sciri potest, & ex tàm breui atq; obscura narratione sedibus rectè discerni nequeunt: sicut neq; ex Ptolemæo, qui plures miscet gentes, & appellationes veteres magis deprauat.

Saxonibus Ptolemæus subiungit Pharodenos, qui Tacito sunt Suardones, fortasse ad Suerinum: His Sidenos, vbi Stetinum. Post Sidenos collocat Ruticlios qui Reudigni sunt Tacito vsq; ad Vistulam, vbi hodie Cassubiorum regio.

Sueui Angli, Ptolemæo sunt gens maxima in mediterraneis. Ab his in Pomerania nomen oppidi Angleem, quasi patria vel domicilium Anglorum. Beda presbyter hos prodidit inter Vitas & Saxones sedisse, & inuitatos à Vitegerno Britannorum Rege, his contra Scotos & Pictos, insulam perpetuis depopulationibus infestantes, subsidio venisse, Martiano & Valentiniano imperantibus, anno Christi 449: Sed tandem potentia auctos vtroq;, vt fieri solet, oppressis incolis, partitaq; insula & imperio, ac limitibus ad Caledoniam syluam interiectis, Britannorum nomine abolito & regno, Anglos parti Australi Insulæ, Scotos Boreali imperasse.

Vitas Saxones, Iuttas interpretantur, à quibus Iutlandiæ

landiæ nomen. Fortè Guttæ sunt, quos in Scandia Ptolemæus collocat, aut rectius Gotti.

Sueui Senones, inquit Ptolemæus, incolunt loca post Albim ad Sueuum fluuium, à parte Orientali. Ergo sedes eorum fuit, vbi hodie est Marchia Brandeburgensis, ad oppida Brandeburgum, Berlinum, Spondam, & partem Lusatiæ inferioris. Ptolemæus cum meminit Senonum in Gallia, ciuitatem eorum nominat Agendicum. Cùm ergo propè veterem sedem Senonum, in hac ora Germaniæ, adhuc hodie sit oppidum retinens idem nomen, quod κατὰ συγκοπὴν vocant Aken, moueor similitudine vocum & horum Senonum in Germania progeniem esse credam tam Gallicos quàm Italicos Senones, qui in Cisalpina Gallia condiderunt vrbes Tridentum, Mediolanum, Veronam, Bergomum, Vicentiam, Senam, Germanici nominis & originis.

Post Senones collocat Ptolemæus Ilingos, quos Elisios nominat Tacitus. Hi ab Elistro amne, cuius nomen genti inhæsit, ad Lygios vsq; habitârunt, vbi Lusatia superior hodie est cum parte Silesiæ. Alludit nomen Lusatiorum ad Elisios.

Calucones sub Ilingis ab vtraq; parte Albis, vbi hodie Electoratus Saxoniæ. Meminit Ptolemæus oppidorum Argeliæ seu Argeuiæ, vt aliqui malunt legere, & Calegiæ. Argeuiæ Torga sono respondet: Calgiæ oppidum Calba quod supra confluentem Salæ Albisq; positum, vtriusq; fluminis nomen com-

complectitur & exprimit, non aliena syncope, quasi Salelb.

Teutonari & Viruni inter Saxones & Sueuos, vbi Rostochium & Vuismaria.

Teutones inter Pharadenos & Sueuos, vbi Prignitium & Episcopatus Hauelburgensis.

Longobardorum sedes fuit circa medium Albis ad ripam Occidentalem, vbi ditiones sunt Episcopatuum Magdeburgensis & Halberstadensis, cum parte Marchiæ veteris. Hi Duce Alboino per Noricum & Pannoniam intrauerunt in Italiam imperante Iustino, totaq; penè Cisalpina Gallia ad Appennum vsq; occupata, regnum excitarunt. Reliquum adhuc est Longobardorum nomen, in eo tractu ad Magdeburgum, qui vocatur auff der Bord. In historijs etiam incolæ Bardi vocantur. Nec à longis barbis, sed vel à longis securibus, quibus vsi sunt pro armis: vel ab hoc loco, qui fertilis est & planus, nomen Longobardorum factum esse existimo, quòd longam planitiem montibus subiectam denotat. Vocabulum Bord, videtur significare agrum oneratũ reditibus de prouentu annuo frugum: & existimo hanc regionem propter vbertatem ac fœcunditatem fuisse velut Horreum cæterarum partium aridiorum.

Buguntas Ptolemæus Ruticlijs adiungit, & includit vtriq; Ælueones, qui Heluecones Tacito sunt ad Elbingam Prussiæ, flumine antiquæ gentis nomen retinẽte. Buguntæ inhabitarũt mediterranea à Cassubijs

bijs versus Poloniam vsq; ad Regium montem, vbi Bregela, quæ Chronus est Ptolemæo, in mare sese exonerat.

Neuter, vel Tacitus, vel Ptolemæus, inter has gentes Sueuicas, Vandalorum vel Burgundorum meminit. nisi quis Buguntas Ptolemæi, Burgundos esse velit. Sed Burgundiones postea & Guttones numerat Ptolemæus inter gentes Sarmaticas, Venedis vicinas, non procul à capite Istulæ, versus extrema Poloniæ, quà illa ad Rutenos & Podolios accedit. Moueor his, vt magis credam Taciti temporibus Vandalos & Burgundos in illis locis, quos Ptolemæus illis attribuit, prope Sarmatas & Henetos, Peucinosq; & Bastarnas supra Dacos & Gottos habitasse, quàm, vt nonnullis videtur, in Ducatu Megalburgensi & Pomeraniæ parte: Sed postea paulatim in hæc loca transijsse, à Sarmatis pulsos: Inde etiam submotos, Alemannorum sedem in Capellatio, vbi ad Heidelbergam est ditio Palatini, muasisse: tandemq; cum hinc etiam extrusi essent, sub THEODOSIO iuniore, è Germania in Sequanos & Heduos transgressos esse, non inficior.

Nuithones Taciti, mea opinione ijdem sunt, qui Githones Ptolemæi. Hos cum vicinis Burgundis è pristinis sedibus in Maximam Sequanorum emigrasse, & tractui Auenticensi, ad Bernam & Friburgum oppida, Nuitlandiæ nomen attulisse, consentaneum est.

Auiones

Auiones Borussorum pars ad Conicium oppidum Varini, Borussi Varmienses ab Episcopali oppido Varmia.

Sed harum gentium limites distinguere, qui ne illis quidem vetustis scriptoribus rectè explorati fuerunt, difficile est: præsertim cum fixas, stabilesq; & tranquillas sedes, nullæ diu possederint, vicinarum gentium assiduis incursationibus turbatæ aut profligatæ. Sequor tamen libenter fluminum indicia, quæ ferè nomina sua conseruarunt, quando terræ eadem cum ipsis incolis mutarunt.

Hermunduros in aditu Boemiæ habuisse regionem, quam Albis & Sala flumina montesq; Sudeti trianguli forma definiunt, vbi hodie Misnia est, & Voitlandiæ pars, Strabonis & Taciti testimonio certum est. Tacitus Cattos refert cum Hermunduris dimicasse de fontibus Salis, ijs ipsis fortasse, qui ad Salam amnem in hac vicinia perantiqui sunt ac celebres, quos OTTO Primus attribuit Episcopatui Magdeburgensi. Fuisse & in exercitu Marcomannorum ac Quadorum contra ANTONINVM, Hermunduros, testis est IVLIVS Capitolinus.

Albim oriri in Hermunduris, Tacitus annotat. Nomen Albi dedisse vndecim fontes, de quorum confluxu atq; corriuatione profluit, doctis placet. Congruit enim ad Albis nomen vocabulum, quo vndenarium numerum Germani efferunt.

Sudetorum montium, qui hodie Boëmiam & Misniam disterminant, denominatio, vt situs, Austro respondet, quem Sud Germani vocant, non alieno vel absurdo Etymo; cum respectu saltus Hercinij, qui in Boream assurgit, demittant sese in Meridiem.

Supra Sudetos Ptolemæus reponit Tyriochemas, vbi Voitlandia submittentibus sese montibus declinat in Turingiam. Alludit appellatio ad Turingos, etsi à Tyrigetis hos ortum nomenq; ducere opinor.

Marcomannorum sedes partim in Morauia vlteriore fuit, vbi Olmuntium est & Brunna: in bonaq; parte Austriæ ad Danubium vsq; & Pisonium vrbem, quæ Lunæ syluæ præiacet, qua Boëmicus saltus humilior est & rarior: partim in Boëmia: Pars enim Marcomannorum Boijs exactis, in eorum concessit locum. Nomen Marcomannorum limitaneos significat, scilicet, quòd limites Pannoniam & Sarmatiam versus clauserunt. His & Hermunduris interiecti fuerunt Nariſci, quos Variscos Ptolemæus nominat, vbi Franconia montana, & Bauariæ superioris pars aliqua, ad Noricum vsq; protenditur, complectens Egram, Coburgum, Bambergam, Neagoram, Ambergam.

Ptolemæus Variscos disiungit à Marcomannis interiectu syluæ Gabretæ, cui contermina fuit Lunæ syluа versus Danubiũ. Gabreta, Behmerwald gegen Francken vnd Beiern: Sylua Lunæ, gegen Osterreich. Nariscorum nomen est à confinio Norici. Gabreta, quasi

quasi Hohebreite, id est, edita & montana planities, qualis est in Norico.

Lygij partim Silesij citeriores intra Viadrum & Boëmicos montes, quorum Metropolis Vratislauia, & post hanc Ligniſium oppidum alludens ad Lygiorum nomen: partim vltra Oderam Poloni, vbi Gnesna vrbs & Posnania Henetorum Bossinorum caput. Silesiorum appellatio à Sclauorum nomine non prorsus dissonat.

Quadi inter Lygios & Marcomannos incoluerunt inferiorem Silesiam, vbi sunt Episcopatus Nissensis, Ducatus Opolienſis: & citeriorem Morauiam, bonamq; Poloniæ partem versus Cracouiam, vbi est oppidum Petercouium, à regni conuentibus celebre. Horum extremi Burij ad Vistulam, versus Tornaniam Prussiæ secundum Vistulam.

Infra Burios Gotini prosapia Gottorum, in vlteriore Pomerania Dantiscum vsq;. Conuenit ad hos appellatio sinus Codani prope Dantiscum, quæ appellatio vrbis vel à Gottis et Danis facta est, vel Heneta prorsus, portum significat Danis oppositum.

Marsigni inter Sarmaticos montes & Carpathum pars Polonorum versus Cepusium.

Post Quados Ptolemæo sunt σιδερωχυχεῖα in Carpatho & Sarmaticis montibus, versus metallicas vrbes Pannoniæ, in agro Opolienſi & Teschinenſi.

Rugiorum nomen insula Rugia, tractus in conti-

nenti Pomeranico, qui vocatur das Rugerland, & in Liuonia Rigensis vrbs ad Rubonem fluuium, quem Dunam hodie incolæ vocant, conseruarunt. Potentem enim & amplam fuisse gentem docet expeditio Odoacri in Italiam, qui totam peruastauit. Habitarunt ergò Rugij partim in insulis maris Arctoi, partim in maritimis vlterioris Pomeraniæ et Liuoniæ circa sinum Venedicum.

Arij & Manimi, vbi Curetes hodie & Samogethi.

A Lemouijs Liuonienses sunt, quos Effluos vocant hodie. Colonos hos esse puto Leuonarum, quos in Scandia ponit Ptolemæus: Sicut Refalienses Danorum, & Rigenses Bremensium hodie sunt coloni.

Naharuallos sic nominatos quasi Nortuuallen, dicerem esse Reualienses & Neruios in Liuonia extrema vtriusq; gentis appellatione κατὰ ἀποκοπὴν & ἀφαίρεσιν in vnum nomen coacta, quasi Neruallen, id est, Nerui Valij: Nisi hoc obstaret quod hos procul in Orientem videtur remouere Tacitus: Neruios enim quasi Nortinos vel Nordios dictos puto.

Æsthionum etiam nomen reliquum est in Liuonia. Linguam enim, qua vtuntur, qui circa Refaliam habitant longo ambitu, Æsthonicam vocant, quæ prorsus est diuersa à Liuoniorum patria lingua, itemq; Curetum, & tertia, quam Vualachorum & Lituano-

Lituanorum noui in Liuonia coloni Latino vocabulo, sed corrupto, nominant die Lettische sprach. Discrepant enim & inter se hæ linguæ, & ab Heneta atq; Germanica, vt nulli alteros sua lingua loquentes intelligant.

Sub Lunæ Sylua Ptolemæus gentem magnam collocat, quam Bæmas nominat. Per hos, Boios qui recens eiecti à Marcomannis sonum patrij nominis adhuc retinuerunt, intelligere eum existimo.

Suiones sunt, quos nunc Suedos & Sueuos appellant. Apparet autem & gentes cognatas & vocabula fuisse affinia, Suionum, Sueuorum & Sitonum. Mare Sueuicum ad Pomeraniam fuit, per quod Sueuos ex vltimis oris Pomeraniæ, colonos duxisse in oppositi littoris continentem, consentaneum est. Nunc Suedicum mare vocatur sinus inter Sueciam & Finlandiam. Eginhartus scriptor rerum Francicarum, ex his Normannos prodijsse perhibet, qui Normaniæ in Gallia nomen nouum, cum gente noua attulerunt: Et consentaneum est, Suecos irritatos à Gottis, qui Gottlandiam insulam compleuerant, & incontinenti Sueciæ Ostgottos & Vuestgottos condiderant, nouas sedes quæsiuisse. Sunt qui hos à Noruegis deducunt.

Tacitus ad extremum Peucinis & Bastarnis, sicut & Ptolemæus, miscet Sarmaticas gentes, Venetos & Fimnos. Ab his Fimnonia est & Finlandia. A Venetis sinus Venedicus inter Russiam seu Mo-

Scouiam & Fmnoniam. Ptolemæus addit Githones, Bulanes, Burgundiones, Auarnos, Peucinis nomen dedisse πευκλῶ insulam ad Istri ostia consentiunt omnes.

De Bastarnis suprà diximus.

Non annumerabantur autem Germanicis gentibus antiquitùs Gotti & Daci, qui ab Ortu: Nec Norici, Rheti & Vindelici, qui à Meridie: Nec qui vltra Rhenum ab Occasu limites Germaniæ veteris claudebant. Belgicum enim totum ad Galliam pertinebat.

Norico comprehendebatur Bauaria inferior, & Diœcesis Salisburgensis, cum parte Austriæ, Stiria, Carinthia, Carnis, Eratq; duplex: Ripense, Danubio imminebat: Mediterraneum aberat longius. Appellationis vetustæ vestigia retinuerunt vrbes Noriberga & Nortlinga, atq; is tractus, qui Nortgouiæ nomine notus, Noribergæ & Ratisbonæ interiacet.

Rhetia vtraq; magna ex parte Sueuis cessit, quorum & nomen induit. Solus enim ager Norlingensis, & Comitatus Ottingensis, Rhetiæ nomen non mutarunt. Dicuntur enim adhuc hodie siti esse im Rieß.

Vindelici in Rhetia secunda habitarunt, quam à prima distinguit Licus amnis, à quo nomen defluxit Vindelicorum.

Daci & Gotti, qui Getæ, & apud Plinium Guttones vocantur, ad vtramq; habitarunt ripam Istri, ὅμοροι inter se & ὁμόγλωττοι secundum Strabonem, vbi

vbi hodie Vualachia est, Transsyluania, & Bulgariæ pars in confinio Mysiæ.

Diu autem illa loca tenuerunt. Cum Syrmo enim Getico Rege Alexander dimicauit. Postea Lysimachus à Rege Getico Dromichete captus est. Apparet ex Herodoto, iam Darij tempore Getas ad Istrum potentes fuisse, qui magna eos laude ornat, cum vocat ἀνδρειοτάτους καὶ δικαιοτάτους θρακῶν & inter cæteros Thyssagetas nominat fortasse Getas ad Thyssam seu Tibiscum amnem. Diu autem cum Romanis de finibus bello contenderunt, donec tandem Valentis tempore victores Pannoniam imperio Romano ademtam sibi vendicarunt. Multa de his libro septimo Strabo.

Hæc veteris Germaniæ qualiscunq; designatio est, ex Strabone, Tacito & Ptolemæo, qui cæteris duobus posterior est. Plerosq; horum, sicut & recentiores, qui in loca & vestigia veterum multò pòst successerunt, ex Asia prodisse multa argumenta ostendunt.

Herodotus inter regni Persici gentes recenset γερμανίους, δάους, σάκας. In Thalia, cùm νόμους seu Satrapas Persicas enumerat, Sacas etiam nominat, & eorundem postea meminit in exercitu Xerxis. Cyrum à Massagetis in Asia interfectum esse scribit, & ad Tyram fluuium Tyrigetas collocat. Cimmerijs sedem tribuit ad Araxem fluuium: hi inde à Scythis Nomadibus pulsi, in Chersonesum concesserunt: Hinc

Cimmerij Bosphori nomen in Taurica: ex Taurica in Asiam irruperunt populabundi, vnde reiecti ab Haliatte Lydorum Rege, commigrarunt in Europam.

A Cimmerijs, sunt Cimbri: A Sacis, Saxones. Dacos, Dacosq; & Danos eosdem esse, cur dubitem non video. Fuerunt vtriq; Sacæ & Dai in exercitu Darij contra Alexandrum. Nec ita procul sono dissident Germani & Carmani. De Getis antea recitaui Herodoti testimonium.

Valdè igitur consentaneum est, has gentes, primas & vetustissimas sedes habuisse in Asia, indeq; paulatim processisse in Europam: seu quòd peregrinationibus delectarentur inquieti natura: seu quòd terras quærerent vberiores & opulentiores: seu quòd a tergo vrgerentur à barbaris gentibus multitudine infinitis, natura feris, linguaa diuersis, quæ per vastissimas illas Orientis ad Boream solitudines assiduè vagantur, ac sedes subinde transferunt migrationibus turbulentissimis, sicut ostendunt Tartaricæ in Asiam minorem & Europam irruptiones.

Græci vniuersas vno nomine Scythas nominarunt, sicut nos hodie Tartaros. Et haud scio, an non sit Germanicum vocabulum Scytha. Sic enim Iaculatorem seu Sagittarium Saxones vocant, Scythæ verò pro armis plurimùm arcubus vtuntur.

Ptolemæus in eodem Asiæ tractu plurium meminit gentium, quæ veteres Germanicas nominibus referunt. Nam & Sassones, & Syebos seu Sueuos & Alanis

Alanos nominat, & sub Alanis in Sogdiana, quæ hodie est Corasena ad fluuium Iaxarten, collocat partem Massagetarum. Eosdem & Sacis miscet, & in Margiana coniungit cum Dais ad fluuium Oxum. Ita nõ in Europa tantum ad Istrum, sed in Asia semper vicini fuerunt Dai & Getæ. Sacis regionem tribuit peculiarem.

Dion Alanos à Massagetis propagat in historia ADRIANI, vbi Alanos ait Mediam inuasisse ac diripuisse Pharasmano duce, quæ vox ex Germanici nominis deprauatione nata, idem significat quod Vuaramundus, quem Gallici scriptores Pharamundum nominant. Sunt igitur Alani gens Gottica. Eosdem ad Mæotidem paludem Germanis Dacisq; & Getis Dionysius admiscet.

τὸ μὲν πρὸς βορέην τετάνυσμένα φῦλα νέμονται
πολλὰ μάλ' ἔθνεα μαιώτιδος εἰς στόμα λίμνης
γεῖτονες ἀμφὶ δὲ τάιτε γέται θ' ἅμα βασάρναι τε
δακῶν θ' ἅππειοι θ' ἅλια κρηθὲν ἀλκήεντες ἀλανοί.

Ergo paulatim ad Europæ limites ex Asia vnà cum alijs accesserunt.

Supra Phrygiam in Bithynia versus Cimmerium Bosphorum, fuit terra Ascania, & in ea terra fluuius Ascanius & palus Ascania, quæ hoc nomine etiam Romanis temporibus nota fuit. Terræ meminit Homerus 2. Iliados:

φόρκυς ἄρ' ἡγήσαντο καὶ ἀσκάνιος θεοειδὴς
τῦλ' ἔσαν ἀσκανίης.

Ascaniæ vicini fuerunt Caucones & Cayci sub Horminio monte, quos Pæonibus & Mysis Homerus adiungit. Hos cum Cimbris ad hæc littora nostra progressos esse, & Caucos gentem Saxonicam condidisse non est vero absimile. Ad Herciniam Ascaniæ nomen adhuc reliquum est, in ditione Principum Anhaltinorum, qui quidem terræ Ascaniæ domini sunt.

Ab Alanis reliqui sunt Albani populi Mediæ & mari Caspio proximi, Caucaseis concluſi rupibus, quæ quòd niuosæ sunt & excelsæ, quodq; abruptarum ac præcipitum vallium profundißimis & sinuosißimis ductibus catenatim inter se connectuntur, arcent vim hostilem omnem Turcorum ac Persarum. Habent autem Albani ἀυτονομίαν, & equitatu valent, militant stipendijs, interdum Turcis, interdum Persis.

Vicini his Iberi & Colchici, quorum illos Gregorianos, hos Mengrellios hodie nominant.

Iberi metallici sunt. Vox ipsa fossorem significat. In Colchide adhuc vsurpari linguam Germanicam, sunt qui constanter affirmant. Gottorum reliquias in Tauriça Chersoneso oppreßit tandem Mahometes II. Imperator Turcorum, duobus eorum Ducibus cæsis, qui quidem & Gottos se appellarunt, & locuti sunt lingua nostra. Nec apud Galatas vicinos, & in Armeniæ parte, desijsse vsum Germanici sermonis, ex historia FRIDERICI Barbarossæ notum est.

Quòd

Quòd igitur ex Asia primi & vetustißimi, qui reperiuntur, Germaniæ cultores prodierunt, & post hos cæteri, quos fatales mutationes de priſtinis sedibus pepulerunt, cur dubitem non habeo.

Vtile est autem stupendas has nostrarum gentium errationes ac dispersiones diligenter considerare, quòd in his vel maximè conspicitur rerum humanarum instabilitas & fugacitas. Cumq; legimus has mutationes, & cum totas gentes vel deletas, vel patria exutas audimus, præparemus animos ad excipiendos ac perferendos omnes fortunæ casus & iniurias: ac cogitemus, hanc vitam aliud esse nihil, nisi triſtißimum exilium erroribus ac iactationibus obnoxium perpetuis, nec tranquillam sedem vllis vspiam fore, nisi in illa æterna & immortali vita patriæ cœlestis, ad quam nos vocat & ducit FILIVS DEI ἀρχηγὸς Ecclesiæ. Vbiq; terrarum, omnibus seculis, omnes gentes, omnia imperia, imò priuatæ familiæ, velut Euripi, subinde nouis & calamitosis mutationibus dißipantur: vt nos de exilio & instabilitate vitæ præsentis, & huius exilij causis admoneant, & testentur, non ad huius fragilis & caducæ vitæ ærumnas nos conditos esse, sed ad aliam vitam meliorem.

Nunc de mutationibus quædam adijciam, quas penè stupendæ & prorsus fatales migrationes gentium veteri Germaniæ attulerunt, magna veterum colonorum parte vel sedibus suis emota vel extincta. Finibus verò Ortum versus contractis, ad Occa-

sum

sum ampliatis. Cœperunt illæ post annum Christi ducentesimum.

Veteribus Germanis ab Ortu in Asia atq; Europa incubuerunt Gotti, Daci, Alani, Tyrigetæ, gentes ὁμόγλωττοι, vt iam ostensum est: quibus circumfusæ fuerunt atq; interspersæ amplissimæ gentes Sarmaticæ & Henetæ, quæ ab illis lingua distinctæ, inter se cognatæ, semper illorum vestigijs inhæserunt.

Sarmatarum appellationem, cum qua eadem est Soraborum, Borealibus, qui supra Pontum & Mæotiden habitarunt. Henetorum qui & Veneti nominantur, cæteris, qui latus Ponti Meridionale accoluerunt, tributum existimo, vbi Bithyni, Mysi, Paphlagones, Cappadoces collocantur, quæ gentes Heneta lingua vsæ sunt. Habuerunt autem sedes cõtiguas in Asia atq; Europa. Vtrosq; ab Ortu presserunt & vrserunt gentes feræ & Scythicæ, numero maximæ, lingua ac moribus diuersissimæ, vt Hunnicæ, Tartaricæ, Turcicæ ex Tartaris oriundæ. Ex his gentibus ergo, cum prioribus vel sponte cedentibus, vel vi prostigatis, proximæ è vestigio desertas sedes occuparent, factum est, vt non Germaniam tantùm, Galliam, Italiam ac Hispaniam, Sueui, Alani, Gotti, Burgundiones, Dani, Vandali: sed veterem etiam ad Danubium, Vistulam, & Pontum harum gentium patriam, itemq; Germaniæ partem maximam, Sarmatæ & Heneti: Sarmatarum loca atq; Henetorum Scythicæ gen-

tes compleuerint, quæ quidem ex angulo illo Septentrionis effusæ agminibus infinitis, velut ex equo Troiano, progressæq; tandem per Asiam Europamq; longè lateq; vagatæ sunt.

Daci ad Istrum Romanis bellum intulerunt: hos repressit tandem Traianus, cæso Duce eorum Decebalo, & Istrum ponte strauit, quem ADRIANVS metu deiecit. Postea ijdem, & cum his Alani, repressi scribuntur ab ANTONINO Pio. Quod autem propter belli studium & consuetudinem quiescere non possent, non dubito sub hoc tempus partem harum trium gentium, Dacorum, Alanorum, & Getarum, ab Istro & Vistula fluminibus, in veterem Germaniam erupisse, vel coniunctim, vel seorsim. Nam Dacos Gottosq; ad mare Arctoum simul consedisse, & insulas vlterioraq; versus Septentrionem littora excoluisse, limitibus, vt in Asia antea & ad Pontum coniunctis testantur amplissimæ horum coloniæ in Dania, Gottia, et tractu Danis, Sueciscq; interiecto, quem Vuestgotti & Ostgotti tenent. Eo enim tempore nouos colonos veterum incolarum nomina in Cimbrica aboleuisse, vel ex Ptolemæo ostendi potest, qui cum ANTONINI tempore scripserit, harum gentium in illis locis non meminit, cum paùlo post ibidem fuerint celebres.

Alani in mediterranea, superatis angustijs Herciniæ, sese diffuderunt. Ab his Alemannos non discerno, quorum nominum illud in hoc migrauit exigua muta-

mutatione: quam non aliter accidisse existimo, quàm euenit, vt qui Alani in Oriente vocati sunt, nunc Albani nominarentur, cum magna cognatio sit vocis vtriusq; Albanorum & Alemannorum, propter cognatas literas b & m.

Francos dubito vtrum ab Alanis ducam, an sinam esse indigenam & vetustam gentem Germanicam, quæ contra aduenas iura vetera libertatemq; defenderit, depulso à ceruicibus suis iugo seruitutis, quod peregrinæ gentes intentârunt, & conseruatam libertatis memoriam nouo glorioso q; Francorum titulo ostentârit & celebrârit, nominibus gentilicijs abolitis, sicut eos nonnulli Caucorum progeniem faciunt: sed in hanc posteriorem sententiam magis inclino. Nomen ipsum assertæ libertatis argumentum in historijs illorum temporum nouum est, quæ memimerunt penè circa eadem tempora vtrorumq;, Alemannorum & Francorum. Francos contra DECIVM primùm armauit POSTHVMVS: deinde triginta horum millia ad Mogintiam trucidauit AVRELIANVS CONSTANTINVS tandem dimicauit cum vtrisq;, Francis & Alemannis, & Reges eorum captos bestijs obiecit. Fit igitur primùm mentio Francorum in DECII historia, quos inter Alemannos & Saxones, interq; saltum Turingicum & Rhenum, ad Salam & Mœnum flumina habitasse, indeq; paulatim secundum Rheni ripas ad eiusdem ostia, vsq; in Sicambrorum Batauorumq; regiones descendisse, quibus in locis CONSTANTINVS eos reperit: tandemq; Rheno ad Vbios transmisso, in Galliam penetrasse, ex historiarum annotatis non est obscurum. MARCELLINVS Francos Salos nominat à Sala amne, vnde Legis Salicæ nomen profectum est.

Alemannorum prima reperitur mentio in VALERII PROBI historia, qui repressit vtramq; gentem, Francos & Alemannos, trucidatis quadrimgentis millibus hominum. Hi Rhetorum Sueuorumq; nominibus abolitis, suum in ea loca importârunt; in quibus sese rursus aliquantò pòst Sueuorum nomen extulit, illo vicissim obtrito. Eius celebritas tunc inualuit maximè, cum à Francis, qui Alemannis iam olim regnum abrogârant, Imperium in Saxones translatum est.

Gottorum seu Getarum partem, Dacos in Occidentem secutos esse, suprà dixi, à quibus Gottorum origo est in mari Arctoo. Et Tyrigetas in Alanorum comitatu per mediterranea loca progressos, Turingos condidisse existimo: Nec improbo, si quis nomen Hieræ, qui Erphortum interlabitur, idem quod Tyræ, & Turingorum idem quod Tyrigetarum esse censeat.

Mysos, vt Tyrigetis ad Istrum vicini fuerunt, ita eodem tempore in Hermundurorum terra prope Turingos, in his regionibus consedisse arbitror, quos postea Sorabi oppresserunt: Hermunduros enim cum Boijs

Boijs Danubium transijsse in agrum Noricum supra dixi.

Tandem cùm HENRICVS Auceps Soraborum regionem, subacta gente, prouinciam Romani Imperij feciſſet, Præfectis nouis impoſitis, Myſorum nomen reuocatum rurſus ſeſe exeruit & inclaruit. Eandem fuiſſe Myſorum linguam, quæ Getarum fuit, autor eſt Strabo, Germanicam ſcilicet vtramq; cum de Getica id certò conſtet.

Cæteri Getæ, qui patrijs ſedibus non exceſſerunt, ſub Valente populabundi ad ipſam vſq; Conſtantinopolin acceſſerunt: Sed repulit hos Valens primùm, poſtea Theodoſius, qui ſtipendijs eos ſibi adiunxit contra Maximum & Eugenium: Hæc cum filij Arcadius & Honorius ſoluere recuſarent, cauſam præbuerunt maximis bellis, quibus imperium in Occidente dilaceratum eſt à Gotis, Francis, Burgundis, Alanis & Sueuis.

Memorantur & Saxones in Valentiniani hiſtoria, quòd cum Alemannis Brando duce Moguntiam cœperint. Hos, cum etiam à Ptolemæo inter Arctoas gentes enumerentur, credibile eſt creuiſſe interea amplificatos potentia, ſocietatibus & fœderibus vicinarum gentium, contra peregrinorum aſſiduas irruptiones.

Burgundi pulſi à Gottis, quorum pars fuerunt & Heruli, quæſiuerunt nouas ſedes apud Alemannos, qui inter Alpes & Moguntiam habitarunt.

Impe-

Imperante ergo HONORIO, Franci acceſſiti contra LVCIVM Præſidem Romanum, qui in vrbe Treuirorũ rapuerat Senatoris cuiuſdam coniugem, vrbẽ Treuirorum occupârunt. Hoc fuit initium regni Francici in Gallia: Inde enim progreſſi ad Moſam fluuium & ſyluam Arduennam, paulatim totam Belgicam & Celticam Galliam ſubegerunt. Contra Francos exciti artibus Stilliconis, Burgundi, Vandali, Sueui & Alani, partim etiam vicinorum iniurijs compulſi, maximis exercitibus in Gallias irruerunt, aditum Francis intercluſuri, vel potius Gallias præoccupaturi. Burgundi quidem Nuithonibus ſocijs, fruſtra prohibente Aëtio Romano Præſide, maximam Sequanorum & Heduorum agrorum partem Francis præripuerunt: & mox confirmatis in noua terra viribus, regnoq; excitato, paulatim fines prolatârunt, Allobrogum regione, cum Prouinciæ & Galliæ Lugdunenſis parte, regno adiecta: Sed ante Francos regnum conſtituerunt, quibus cum poſtquam diu de finibus diſceptaſſent armis, tandem aſſiduitate bellorum & pertinacia Francorum fracti, his ſeſe ſubdiderunt.

Vandali, Alani & Sueui, prope littora Belgici progreſſi ad Ligerim vſq; omnia compleuerunt. Vandalorum gens in aditu Celticæ nomen Flandriæ indicatur indidiſſe. Sed inde à CONSTANTINO patricio Romano profligati, peruaſatis Gallijs in Hiſpaniam proruperunt, vbi diſiuncti inter

ter se partiti prouinciam, alij alias partes inuaserunt.

Sueui Galliciæ regnum constituerunt, quod Septimus Rex finijt. Vandali suas in Betica sedes fixerunt, à quibus ad Betim fluuium, circa Hispalin, in Turdetanorum veterum tractu, ad hæc vsq; tempora Vandaliæ & Vandalusiæ & Andalusiæ nomen superest.

In Castellanorum regionem cis Iberum substiterunt Gotti & Alani, vel potius Catti & Alani. Cattos enim, vel Francorum, vel Saxonum, inter quos fuerunt medij, iniurijs vexatos, cum Alanis discessisse consentaneum est: Vnde Catalaunia regio, in qua hodie celebris est Ducatus Cardonæ.

Sed Hispania non diu possessa à Vandalis, paulò pòst cessit Gottis, qui Vuallia duce, Genserico Vandalo excluso, vltraq; fretum Herculeum in Aphricam reiecto, possessionem ac dominium Hispaniæ traxerunt ad sese. Eiusdem enim Honorij principatu Radagisius ducenta millia Gottorum in Italiam duxit, quorum magna parte fame dissipata, & Radagisio capto strangulatoq; reliquiæ Alaricum Regem crearunt, qui Romam cepit. Huic Cosentiæ mortuo Adaulphus suffectus pacem fecit cum HONORIO propter affinitatem, & relicta Italia, discessit in Galliam, occupata ex pacto parte prouinciæ & Aquitaniæ: Inde in Hispaniam mouit & bellum Vandalis intulit, quod illo interfecto confecit Vualia.

Horum

Horum Gottorum progenies Hispaniam rexit vsq; ad irruptiones Saracenorum, qui Roderico Rege Gottorum cæso reliquias in Asturum, intra Pyreneos montes, angustias compulerunt. Attractum contra hunc scribunt Muzam Miramolini Maurorum Regis Ducem, quòd Iuliani comitis cuiusdam filliam per vim stuprasset, circiter annum Christi septingentesimum decimum quartum. Ita ruina et mutatio regni Gottici extitit à libidinis pœna. Vocati sunt autem Vuestgotti ad discrimen illorum, qui postea à Zenone Imperatore in Italiam missi sunt cum Theodorico Rege eorum, contra Odoacrum Rugianum, qui ex Rugijs & Herulis Arctoi maris accolis conflato exercitu, Italiam prædabundus totam percurrunt.

Ostgotti tandem in Italia reiectis Græcis consederunt, & regnum condiderunt, quod Longobardli destruxerunt. Vandali excussi Hispania traiecerrunt in Aphricam Genserico Duce, vbi Græci Gottiq; à partibus diuersis eos persecuti, reliquias prorsus deleuerunt.

Interea Franci in Belgica & Celtica Gallijs regnum exorsi sunt, quod primus Merouæus Vuaramundi nepos titulo regio administrauit. Hoc regnum postea, cum Burgundorum & Alemanorum accessione amplificatum esset, limitibus situq; distinctum est in regnum occidentale Celticæ Galliæ, quod scriptores Neustriam corrupta voce vocãt ex Vuestriehio

& orientale Belgici atq; Germaniæ quod Austrasiam quasi Ostrichium nominant. Durauit hæc distinctio vsq; ad CAROLVM MAGNVM, qui Regum Boiorum perantiquo stemmate sublato, prolatisq; in Pannoniam finibus, hoc recens acquisitum regnum Ostrichium, reliquum omne Vuestrichium nuncupauit, vnde ad Lotharingiam Vuestrichij, id est, occidentalis regni nomen reliquum est.

Hæc dum in Occidente gesta sunt, interea ab Ortu & Septentrione Sarmatæ & Heneti, quos Ptolemæus scribit esse maximam gentem Sarmatiæ partim veterem Germaniam versus Occasum occupárunt ad Albim vsq;, tot migrationibus & bellis exhaustam ac desolatam, reliquijs veterum colonorum aut cæde sublatis, aut summotis loco: partim versus Meridiem Gotticas & Romanas prouincias depopulari cœperunt: Et ex vastis solitudinibus Asiæ, Attila duce, Hunni gens Scythica, quos Χόνους Ptolemæus nominat, Sarmatarum terras adorti progressiq;, Gottos in Pannonia oppressérunt, indeq; promotis castris per Germaniam & Italiam, ad Tolosam vsq; Galliæ vrbem accesserunt: vbi Ætius Præses Romanus magna strage victos repulit, adiutus socijs armis Francorum, quorum Rex tunc fuit Merouæus: Gottorum, quorum Rex tunc fuit Theodoricus: & Burgundorum. Attila mortuo Gotti rursus superatis reliquijs Pannoniam recuperárunt, duce Ardarico Gepidarum rege, à quibus Cepusij sunt. Ita Gotti Pannoniam recuperatam tenuerunt vsq; ad reditum Hunnorum sub Iustiniano. Ab Hunnorum & Auarum progenie sunt Hungari, sicut ex vtriq; & nomen factum est, cum quibus Imperatores Occidentis magna bella gesserunt. Iidem Gotti, vt dixi, sub Zenone in Italiam missi contra Odoacrum, Græcia exturbatis regnum ibi inchoarunt: contra hos à Narse euocati sunt Longobardi, qui à ripa Albis in Noricum ad Danubium, indeq; in Pannoniam recens commigrárant, Sclauorum, vt opinor, violentia extrusi. Hi aliquantò pòst, capti scilicet allectiq; pulchritudine Italiæ, sua sponte reuersi, Cenomannorum & Insubrum veterum sedem intra Alpes & Padum occupárunt, regno fundato, & Gottorum reliquias bellis continuis attritas prorsus extirparunt, vt ne quidem vestigia aliqua coloniarum Gotticarum reliqua esse permiserint. Longobardis rursus tandem regnum eripuerunt Franci. Ita Ostgotti Rugios & Herulos: Ostgottos Longobardi: hos Franci vlti sunt.

Recitaui qua potui breuitate vastationes & mutationes non tantùm Germaniæ veteris, sed totius penè Europæ. Has cogitemus fatales fuisse pœnas peccatorum generis humani, cùm aliorum, tum verò inprimis blasphemiæ contra FILIVM DEI in Ariano dogmate, & aliarum similium impietatum, quas Gottos præcipuè & Vandalos non tantùm amplexos esse ac fouisse, sed etiam magna sæuitia defendisse con-

constat. Nec video quid cogitari possit tristius & horribilius excidijs tot regnorum, tantisq; eorundem collisionibus inter se atq; conflictibus mutuis, & tot gentium cædibus tàm funestis, tot deletionibus vel dissipationibus & exilijs earundem, deniq; confusionibus atq; commixtionibus illarum inter se tàm fœdis. Diluuij inundationibus absorptum est totum genus humanum: Sed haud scio, an non præstiterit semel mori, quàm spectare ac perpeti tantum malorum toties variatis vicibus, quantum in his mutationibus accidit. Nec dubito Deum punire voluisse Occidentem cladibus harum vastationum. Orientem Mahometicæ gentis furiosis opinionibus & bellis.

Nunc paucis exponam eum Europæ statum & præcipuè Germaniæ, qui emersit ex his regnorum concussorum ac disiectorum ceu naufragijs, cum bellorum fluctibus sedatis & bellandi rabies atq; libido nonnihil deferbuisset, & ex tot iactationibus gentes nonnullæ alicubi sedibus fixis substitissent atq; conquieuissent: deniq; quale acceperit Imperium Occidentis CAROLVS MAGNVS, accersitus in Italiam ad Longobardos retundendos.

Omnem terram à Ponto & Rha flumine, cui Vuolga hodie nomen est, ab Ortu in Occasum, versus Meridiem quidem inclusam Sarmaticis montibus, Carpatho, totoq; ambitu Bohemicorum montium: ad Boream verò littore Sueuici Baltiçiq; maris, ad Albim

bim vsq; longè lateq; compleuerant Heneti, Sarmatæ, & Sclaui, magna varietate ac diuersitate.

Fuisse autem has gentes ὁμογλώττους reperio. Sed Henetorum & Sarmatarum nomina vetustiora sunt ac celebratiora. Sclauorum enim primùm innotuit imperante MAVRICIO Cæsare, qui ducibus Commentiolo & Prisco Prætore magna affectos clade ad Istrum accidit nonnihil & languefecit: Iam tum enim, Gottis ibidem propter continuas & migrationes, & bella, numero viribusq; attenuatis, eò vsq; accesserant. Suidas de his inquit: τὸ σκλαβινδρ γένος τὸ πέραθεν τοῦ Ἴστρου. Henetorum meminit in vicinia Paphlagonum, quos Henetum Ducem in exercitu Troiano habuisse prodidit: & sinus Veneti, atq; vrbis Venetæ in mari Adriatico, ab his originem esse consentiunt omnes, siue Antenore, siue quocunq; alio duce eò appulerint: sicut ijdem sinui Veneto in Sueuico mari supra Prussiam cognomen dederunt: Nec alia Henetorum, alia Venetorum seu Vindorum, quos Germani Vuenden nominant, appellatio est. Deniq; vt Sarmatis à Ptolemæo admiscentur: sic in Asia atq; Europa vtrasq; simul ac mixtim habitasse, aut contiguas possedisse terras, non dubito.

Sarmatarum nomen, quos σαυρομάτας Græci nominant, quòd Sorabi referant et Serui, manifestum est. Sclauorum nomen (Henetorum enim & Sarmatarum Etyma quæ sint, suprà indicatur) illud ergo,

cum recentius multò sit, vnde extiterit dubito, præsertim cum penè toti genti tributum, ceu commune nomen, consensu gentium reperiam: An à celebritate famæ atq; iactantia gentis sit tractum, vt aliquibus placet: An, quod potius credo, à gentis ferocitate, vt in Quadorum nomen successerit, quod nostra lingua feroces vehementesq; significat & immites. Sed quodcunq; sit ἔτυμον vocis, antiquissimas esse has tres gentis ὁμογλώττους appellationes, historiæ docent.

Propagarunt hæ autem, ad Solem orientem, vltracitraq; Mæotiden paludem supra Pontum, amplam ac potentem Circassorum gentem, quæ ante Tartaricas irruptiones latè ibi dominata est, & postea cum iugo Tartarico oppressa esset, mirandis modis occasione seruitutis illius ad fastigium regni Ægyptij peruenit. Inde versus Septentrionem & Occasum circa Rha & Thanaim flumina, vsq; ad sinum Venedicum, vbi hodie sunt Moscouia, Liuonia, & Russia alba ex ijsdem gentibus deriuati sunt atq; diffusi Rossi, qui & Roxani & Roxolani vocantur, hodie Moschi. Hi si progenies sunt Mossinæcorum, quos in Argonautico carmine describit Apollonius, vt nomen ostendit, & vero est consentaneum, sicq; patrios mores adhuc retinent, vix hodie viuit alia gens turpior. Apollonius, quo cum Ptolemæus & Strabo consentiunt, sedem his tribuit ad Moschicos montes

montes, quibus in superioribus partibus Ponti Cappadocum, Colchidi Armenia iungitur.

In Rossorum vicinia Borussi consederunt etiam ab Oriente profecti, sicut indicat nomen, quod Henetum est, & colonos Russis contiguos denotat. Ab his Prutenorum seu Prussorum nomen defluxit.

Ad Rha seu Vuolgam fluuium hæserunt Bulgari: Ad Borysthenem Bossni, qui & Pazinacæ. Propè sinum Venedicum Liuonij vetus Liuoniorum nomen conseruarunt. His & Borussis interiecti Curetes & Sudini mare, Samogethi Lituanorum confinia hodie attingunt, quorum nomen congruit cum Sarmatis & Getis in Dionysij carmine. Hi paulatim ab Oriente & Aquilone progressi, statim vbi deseri loca ad Borysthenem, Tyram & Istrum à Gottis senserunt, his incumbere, infestareq; Romani Imperij limites cœperunt, neq; vrgere desiterunt, donec in Mysia, Thraciaq; & Macedonia, ac vicinis Tryballorum & Dardanorum regionibus, Græcis Imperatoribus assiduitate irruptionum ac depopulationum defatigatis, sedes extorserunt, vbi in Mysia inferiore Sarmatæ à Vuolga profecti gentem Bulgarorum: in superiore & finitimis locis Rossi vel Roxolani Rascios: Sarmatæ Sorabos & Seruios: Pazinacæ Bossinos: cæteri Croatas, Dalmatas, totamq; penè Epiri & præcipuæ partis in Græcia gentem procrearunt, sicut testatur autor Epitomes in Strabonem. Inquit enim: νῦν δὲ πᾶσα μ

πᾶσαν ἤπειρον ἡ Ἑλλάδα χερσὸν καὶ πελοπόννησον καὶ μακεδονίαν σκύθαι σκλάβοι νέμουσι).

Sub Borussis, qui ad mare veterum Suevorum patriam invaserunt, à situ Pomeranorum nomen contraxerunt: sic dicti quasi maris accolæ. Hos à Cassubijs maris interstitium et sylvarum densitas seiunxit. Cassubij enim à littoribus versus mediterranea Poloniæ & Borussiæ sese extenderunt. Nomen eos à plicis vestium acquisiuisse volunt, quibus cæterorum vestes caruerunt. Hinc secundum littus maris Baltici per Pomeraniæ partem Ducatumq; Megalburgensem, vsq; ad Albim, & per Marchiam Brandeburgensem, quæ quadruplici terræ distinctione ab Odera ad Albim, & vltra flumen vtrumq; secundum Suevum Havelumq; amnes porrigitur: in hoc ergo tractu, sedes & domicilium fuit Henetorum seu Venetorum. Huic enim gentis parti hoc nomen propriè inhæsit. Sed multa fuerunt Henetorum genera, locis nominibusq; distincta, qui suis singuli paruerunt Ducibus: Vni verò Regi subiecti fuerunt omnes, quem genuit stirps regia, de qua prodierunt Duces Megalburgenses: sed regium nomen vsurpare deserunt, postquam accisa potentia Imperij Romani Principes esse cœperunt. Aliquantò antè Imperio sese coniunxerunt Pomeraniæ Principes, quorum adhuc superest prosapia.

A Viadro secundum Suevum & Havelum ad Albim vsq; sedes fuit Lebusiorum, vbi Lebusium oppidum:

pidum: item Vuilmorum et Stoderanorum, vbi Berlinum & Brandeburgum: & Herlorum seu Helueldorum, vbi Episcopatus est Havelburgensis.

Supra Lebusios in confinio Pomeraniæ & Megalburgensium, cis Panim fluuium, Cycini ad oppidum Gucegouium: & Circipani, vbi Gripswaldia, Vuolgastium, Sondium: Vltra Panim, Tolensij sederunt & Rhedarij: Tolensij ad Tolensum amnem alluentem nouum Brandeburgum in Megalburgensi terra: Rhedarij intra Panim & Oderam, vbi Ducatus est Stetinensis. Prizanorum sedem nomen Prignitiorum indicat. Hos omnes à lupina rapacitate cognominarunt Vuelicos. His proximi Lingones, vbi Luneburgum: & Varnaui, vbi Rostochium: Obotriti, vbi Megalburgum: Polabi, vbi Episcopatus Raciborgensis. Dehinc supra Trauenam fluuium Vuagrij, vbi Episcopatus olim Aldeburgensis, nunc Lubecensis.

Luticij supra Suevum ad Albim vsq; Lusatiam inferiorem: Sorabi reliquum supra Albim vsq; ad montes Sudetos versus Meridiem, ab Ortu verò ad caput Suevi fluminis, ab Occasu ad confluentem Albis ac Salæ incoluerunt, vbi hodie est Lusatia superior, Missnia tota, & principium Saxoniæ superioris ad Herciniam. Ita in hac extrema ora terrarum, quas occuparunt Sarmatæ & Heneti, vt in Asia olim & postea in aditu Europæ, sedes finibus coniunxerunt, nominum discrimine seruato; Et vtriq; diu multumq; Franciæ

& Saxo-

& Saxonica arma exercuerunt, cum non contenti amplitudine occupatæ terræ, vltra Albim Saxonum agros ad Luneburgum, Francorum ad Salam depopulando, terrasq; carpendo, potentiam extendere conarentur. Sæpe ægrè illi ac difficulter vim bellicosissimarum gentium sustinuerunt & represserunt. Sæpe hæ iugo, quod bellorum diuturnitate & victoriarum de ipsis partarum crebritate fractæ susceperant, rursus abiecto ad arma redierunt: donec tandem maxima multitudine contusa consumtaq; cædibus, in locum eius nouas colonias duxerunt HENRICVS LEO, & ALBERTVS VRSVS, de quibus mutationibus suo loco dicetur. Soraborum nomen reliquiæ in Lusatia superiore adhuc vsurpant, & de veteribus colonis testantur oppida Sorbecum & Serueſtum. HENRICVS AVCEPS Sorabis dom itis Præfectos dedit, qui hanc oram tutarentur contra Boëmos, inde origo est Præfecturæ limitaneæ, quam hodie Marchiam Misnensem vocant: Contra Henetos Marchiam Brandeburgensem constituit.

Nunc terminum earundem gentium ad Ortum Austrinum ducam, & mediterraneas sedes referam.

Mediterranea versus sub Borussis sedes est Masouiorum, quos à fronte versus ortũ longo tractu cum Moschis coniungunt intermedij Lituani, à Moschis fere Boryſthene fluuio diremti, qui hodie dicitur Neper.

Sub

Sub his Russi & Podu'i ad Sarmaticos montes, & Tyram fluuium seu Neſtrum, vt hodie incolæ vocant. Hos à Vualachis disterminant Iazyges non mutato veteri nomine. Tergum horum ab Occasu claudunt Poloni, qui inhabitant amplissimam planitiem, quæ patria fuit Burorum, Quadorum, Lygiorum & aliorum.

Reliqua Quadorum & Lygiorum terra intra Viadrum & Boëmicos montes excepit Silesios, quos vt Sclauorum & Quadorum veterum nomina expressisse opiner, vocum cognatione & significato moueor. A Sclauorum traiectu Vratislauia nomen adepta esse videtur. Ad Lygios veteres Lignitij appellatio alludit.

In Marcomannorum locum Moraui subierunt, nomen, vt nonnullis placet, à Morana flumine sortiti.

In vallem amœnissimam his & Sorabis interpositam, Gabretaq; Sudetis ac Hercynia vndiq; cinctam, quæ Boiorum fuit antiquitùs, inuolârunt Zechi, quos vsitatè, non patrio Zechos, sed vetustissimo & inde à Boijs vsq; propagato nomine Boiemos vocamus.

De Silesijs & Morauis inter Polonos & Boiemos bella diu fuerunt. Polonos Lechum, Boiemos Zechum Ducem secutos, vt ex gentis vtriusq; appellatione aliqui coniectant, interq; se linguæ, sanguinis & multarum aliarum rerum societate deuinctos, non origo, quæ eadem est, sed soli mutatio disiunxit, contentio-

tentione, de finibus & imperio ex æmulatione potentiæ exorta. Moraui Boëmis, Silesij Polonis semper adhæserunt, vsq; ad eam mutationem qua de veterum Regum Poloniæ stirpe, de qua reliquum est stemma Ducum Silesiæ Lignicensium & Bregensium, regnum in nouam gentem Iagellonum translatum est. Ea enim mutatione alienatis Silesiorum animis à Polonis, artibus ac consilio Iohannis Lucelburgensis Regis Boëmici, qui fuit filius HENRICI VII. Imperatoris, & pater CAROLI QVARTI, perfectum est, vt Silesia prorsus à Polonis discederet, & insereretur regno Boëmico, fieretq; prouincia Imperij Romani.

Terminarunt ergo Germaniam versus Ortum & gentem Henetam CAROLI MAGNI temporibus, Albis fluuius & montes Boëmici. Sed versus Occasum, quos limites constituam non reperio. Nam Francica potentia Galliæ partem maximam Germaniæ coniunx erat: Belgicam enim omnem complexa erat ac Celticam, præter minorem Britanniam, in quam coloni Britanniæ veteris, qui ab Anglis Saxonibus pulsi eò transfretarunt, Britanniæ nouum nomen attulerant, cùm à Cæsare ibidem Armoricæ ciuitates collocentur: Aquitaniæ item Prouinciæq; partem maximam: De eo verò quod supererat, contendebat bellis assiduis cum occiduis Gottis, à quorum reliquijs Languedocia nomen sumsit, vbi Tolosates olim, Volcæ,

Volcæ, Nitobriges, & Tectosages sederunt: Metropolis eius hodie est Narbo ciuitas.

Belgicum & Celticam Franci, Alemanni, Burgundi, & Vandali compleuerant, & aliæ gentes Germanicæ, quæ & distinctionem & nomina veterum habitatorum aboleuerunt: quanquã eam mutationem tùm paulatim cœpisse opinor, cum Gallia Romanis armis subacta & in prouinciam redacta est.

Franciæ nomen Parisiensibus regni Francici sedes imposuit. Hoc, vt dixi, ante Pipinum & CAROLVM distinctum fuit in duo regna: Horum occidentale Galliam Celticã, Neustricæ seu rectius Vuestrichij nomine: orientale Belgicam Galliam, Austrasiæ vel rectius Ostrichij nomine, comprehendit: hinc Neustriæ nomen reliquum est in parte Normanniæ. Sed hanc distinctionem postea aboleuit CAROLVS MAGNVS, Regibus Boiorum sublatis. Nam recens debellatis regnis in Germania, orientalis: Gallicis prouincijs Occidentalis regni nomen tribuit. Hoc postea LOTHARIVS LVDOVICI PII filius, cui ex distributione Belgica Gallia cum parte Lugdunensis prouinciæ obtigerat, abrogauit, suo nomine substituto, Inde & Vuestrichij appellatio reliqua est ab occiduo regno, & Lotharingiæ à LOTHARIO.

Sed vetus Lotharingia deinceps partim à Francis, Burgundis & Germanis direpta, partim distributione inter posteros LOTHARII in minutiores particulas discerpta, in eas deuenit angustias, quas Vogesus

gesus & Iura montes fluuiusq; Sequana & Belgicum definiunt: Eam regionem nouæ diuisiones in alias adhuc tenuiores concisam vel mutilatam potiùs particulas, plures gubernârunt Principes.

Fuerunt enim Lotharingiæ partes, Lotharingia superior eodem hodie nomine nota: Lotharingia inferior, quæ Brabantia postea nominata est, nomine ex Prouincia per deprauationem facta.

Ducatus Mosellanus ad fluuium Mosellam, vbi olim Romanduorum sedes fuit, hodie est Lucenburgum.

Ducatus Arduennæ à sylua Arduenna seu Polonienſi, Godefridi Hierosolymorum Regis Imperio celebris, in confinio Namurci, Leodij & Hannoniæ. Sunt autem Namurci hodie, vbi olim Contrusij, & Comitati Namurcensi proximi Segni.

Leodienses hodie, qui olim Eburones & Tungri. Leodienses à Legione Romana ibi hybernante & cæsa cum quinq; cohortibus ab Ambiorige Eburonum Regulo nomen acquisiuisse putantur.

Eburones sic dicuntur quasi Eyburen, id est, Eiorum coloni: Eyfflia verò, quæ protenditur ad Vbios vsq;, quasi Eyfelt, id est, campus Eiorum. Ex eo enim loco eis Rhenum transierunt in Galliam, qui adhuc hodie Comitatus nomine insignis, vocatur die Ey oder die Hoy.

Eburonibus annumerantur Runici, Bethasij, Toxandri, Masaci. Runicorum nomen pars Belgici reti-

retinuit, das Runckerland. Sic legendum enim pro Sunicis apud Tacitum, & pro Rinucis apud Plinium. Masacorum oppidum infra Traiectum superius, Masec k. Bethasiorum multa ad Mosam oppida desinentia in Bech. Dippenbech. Schonbech. Toxandria fuit oppidum inter Mosam & Traiectum, hodie vocatur Visetum: multa in eo reperiuntur monumenta vetera. Horum sedes primùm vltra Rhenum Franci inuaserunt vltra citraq; Mosam vsq; ad mare.

Iuliacenses olim Menapij.
Colonienses olim Vbij.

Geldrenses, Motenses, & ex parte Phrysij, olim Sicambri, quasi See Cimbri, id est, Cimbri maritimi. A Sicambris videntur esse reliqua Sigenberg & Sigen.

Hollandia à cauernis subterraneis sic dicta est, post inundationem factam anno Christi octingentesimo sexagesimo, quòd subruta terra & eluuione cauata cœpit esse σομφώδης & cauernosa, olim Battauia. Fuitq; Battauia duplex: superior ad Geldriam pertinet: inferior Hollandia est, cuius pars inter Vuahalim & Leccam Rheni brachia vetus nomen retinet, die Bettauu.

Brabantiam olim incoluerunt Aduatici, nunc Bosleduci: Ambuariti nunc Antuerpienses, à quibus Marchia Antuerpiensis nomen habet, quæ constituta fuit in limite Armorico contra Anglos multò antè

CAROLVM MAGNVM Grudij, vbi Louanium & Mechlinia.

Brabantia, Lotharingiæ inferioris nomine amisso, id nomen adsciuit HENRICO IIII. imperante. Id ex Latino Prouincia factum est.

Flandriam tenuerunt olim Gorduni, vbi Gandauum & Bruxella: Pleumosij, vbi Brugæ, vnde Flamingorum nomen, vel à Flandris: Neruij, vbi Tornacenses, Verocasses, nunc Casletenses: Gessoriacum seu Iccius portus, hodie Caletum. Habuit autem Flandria Comites peculiaris stirpis Francicæ, à CAROLO MAGNO vsq; ad Balduinum vltimum, qui cum hæredem instituisset CAROLVM Daniæ Regem, hoc mortuo sine hærede, contentio orta est inter Regem Galliæ & Imperatorem de Comitatu.

Hannoniæ bona pars sub Belgica Gallia comprehenditur.

Nomen Germanicum κατὰ ἀφαίρεσιν priorum syllabarum ex Arduenna factum videtur. Hennigaw, ig est, Arduennæ subiecta vallis vel planities, quam Germani vocant ein Aw.

Picardia hodie complectitur veteres Ambianos, Suessiones, Bellouacos, Veromanduos, & ex parte Morinos: Pars enim Morinorum ad Flandriam pertinet: Campania Remos & vicinos: Artheſia Atrebates.

Burgundi Heduis & Sequanis succesſerunt. Latè patuit potentia eorum quæ ad Allobroges & Tauri-

nos vsq; pertinuit, qui sunt hodie Sabaudi & Pedemontani. nunc inferior Burgundia ducatus titulo, Heduos, Mandubios, Lingones & partem Sequanorum habet, quæ fuit Verdunensium, Bibractarum, Diuionensium, Matisconensium & cabillonensium: Superior Comitatus nomine, Sequanos reliquos, & præter hos Bisuntinos & multos alios. Alemannorum etiam pars in superiore Burgundia consedit, quos hodie Iurassos vocant.

Normanniæ nomen à noua gente multò pòst inuectum est in ea loca, quæ tenuerunt olim Ambilates Bellocasi, Lexouij, Eburonices, Aulerci. Sed omnium mutationum momenta & causas recitare nimis foret longum.

Hoc satis sit scire, quòd maximæ parti Galliæ Germaniæq; Franci tunc imperarunt, cum mutatio Imperij facta est, & habuerunt partes singulæ suos vel Principes vel Comites ex Francorum familijs aut Alemannorum, de quibus reliquiæ fuerunt Gentes Gibellinæ & Vuelphæ: Sed Francis paruerunt.

Erat autem tunc Germania vniuersa distributa inter potentissimas gentes tres, quæ inter se infestis odijs armisq; perpetuò decertabunt. Duas extremas partes Saxones & Boij, mediam Franci tenebant.

Forma gubernationis apud Saxones Aristocratica erat, domi Rempub. æquo iure administrantibus duodecim principibus, è quibus dux belli, cum opus erat,

eligebatur, cui ituro contra hostes concedebatur in exercitum potestas regia, vt olim apud Spartanos & Romanos: Boij Franciq; monarchias habebant.

Extrema ad Septentrionem, ab arcto mari Balthico & Oceano: à meridie iugis Hercinijs: ab Ortu Albi fluuio: ab Occasu Rheni Oceaniq; parte circundata, Saxonum erat, quos distinguebat Visurgis in Vuestualos et Ostualos, his ad Albim, illis ad Rhenum accedentibus: Extremam ad Meridiem per Alpes ac Cæcios montes, perq; Rhetiam superiorem & Norici agros extensam, ad Italiam et Hunnorum in Pannonia fines vsq; possidebant Boij, iam olim in ea loca delati, qui Hunnos aditu Germaniæ prohibebant, & reprimebant Norico imminentes Boëmos.

Media inter has longè lateq; ad vtramq; Rheni ripam, & per Alemannorum, Francorum orientalium ac Turingorum agros ad Salam vsq; & Albim, parebat Francis horum armis edomita. Paulatim enim Franci non Galliam solùm vniuersam, Vuestgottis euersis, sed & Germaniæ populos subegerant, et Turingorum Alemannorumq; regna demoliti erant: cumq; propterea formidabiles essent vicinis, Saxones, à quibus à parte vna Saltu Hercinio, ex altera Rheni alueo dirimebantur, partim amore libertatis pristinæ & metu iugi Francici, odioq; peculiari gentis: partim suæ religionis pertinaci studio, quam extinctam Franci cupiebant, perpetuò contra hos in armis erant. Sed potentia Franci cæteros superabant, qui

qui regni sui fines recentibus contra Saracenos victoriis procul in Hispania vltra Iberum propagarant. Beticam enim totam, & Tarraconensis ac Lusitanicæ Hispaniæ magnam partem bello Gottis ademtam, multò antè Saraceni obtinuerant: Hisq; Galliam adiecturi arma mouerãt in Francos attracti à Vuestgottis, qui in Aquitania & Narbonensi supererant: Sed cæsi deletiq; à Francis, Rege amisso, magnam Hispaniæ partem amiserunt, donec tota rursus exciderunt, oppressi à Gottis, qui mox post Francicas victorias respirare & fractas vires reficere atq; instaurare cœperunt. Recuperarunt enim Gotti Hispaniæ regnum, estq; ab his origo materna Imperatorum CAROLI V. & FERDINANDI fratrum.

Cimbrica Chersonesus totaq; vltra mare Balthicum continens, partim Danorum erat & Gottorum: partim Suecorum, cum quibus bellum erat Saxonibus assiduum.

De Italiæ principatu contendebant cum Græcis Longobardi, eò quòd quæ ad Exarchatum pertinuerant, hi inuaderent, scilicet vt occupatis illis viam sterneret ad Imperium vrbis Romæ. Cùm autem Pontifices Romani suæ potentiæ amplificandæ causa eadem appeterent, odissentq; Longobardos multis de causis, & viderent Græcos defensioni Italiæ impares esse, commiserunt cum Longobardis Francos.

Talis ferè Germaniæ & magnæ partis Europæ species fuit tunc, cùm Imperium Occidentis constitutum

tutum est, diuisione Italiæ inter Græcos & Francos Græcorum assensu.

Nec de Germanicis gentibus circa illa tempora plures celebrantur, quàm Saxones, Franci, Turingi, Alemanni, Burgundi, Boij: quorum Turingi Alemanni & Burgundi Francis subiecti fuerunt: cæteri horum obscurati amplitudine ac potentia latuerunt, sed aliquanto pòst ex ijs mutationibus, quæ secutæ sunt, rursus inclaruerunt atq; creuerunt aucti opibus, victorijs, laude bellica & imperij dignitate, de quibus suo dicetur loco, Profuit autem plurimum toti Europæ hæc & Imperij translatio, & trium regnorum Germaniæ, Italiæ & Galliæ coniunctio, sine qua nulla harum regionum, suis quibus obiecta fuit hostibus arcendis reprimendisq; sufficisset. Germaniam assiduè infestabant Heneti: Eidem & Italiæ imminebant Hunni: Italiam et Galliam appetebant Saraceni: Galliæ & Germaniæ formidabiles erant gentes Arctoæ. Harum pleraſq; domitas bellis & mansuefactas, potentia nouæ Monarchiæ conflatæ ex hac coniunctione, ad societatem fidei & religionis Christianæ perduxit, solis Saracenis magna ex parte deletis. Sed de his in singulorum Imperatorum rebus gestis dicetur.

CAROLVS MAGNVS

CErtissimum est, ordinem politicum in genere humano, opus & beneficium DEI esse, quo

societatem honestam conseruat, sicut scriptum est Iudicium Domini exercetis. Item. Libra & pondus iudicia Domini sunt. Et quidem hæ res optimæ, leges, coniugia, distinctio dominiorum, contractus, magistratus, iudicia, pœnæ, sunt testimonia de sapientia, bonitate & iustitia DEI, & de eius præsentia in genere humano: quia ipsa DEVS custos est sui ordinis. Discernendus est autem ipse ordo à Personis. Vt coniugij leges multi violant: Ita multi gubernatores ordinum in Imperijs conturbant, & fiunt Tyranni grassantes iniustis homicidijs, confusionibus libidinum, & alijs sceleribus, vt CALIGVLA, NERO & alij innumerabiles: Hos DEVS non approbat, qui vt priuatos latrones punit, ita iustos legum & iusticiæ hostes excutit ex Imperijs, vt conspiciantur ipsius iustitia & præsentia in generis humani conseruatione, ne prorsus fiat dissipatio hominum, sed aliqua maneat societas, vt Ecclesia colligi & doceri possit. Ac fiunt in pœnis mutationes non semper salutares, sed tamen alicubi, vt interfecto CALIGVLA succedunt non meliores, CLAVDIVS & NERO, & tamen postea succedunt vtiles principes, VESPASIANVS & TITVS: sic interualla miranda sunt. Et pœnæ Tyrannorum ad regulas referendæ sunt: Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit: Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, extirpabitur: Omnis qui vsurpauerit nomen Dei vanè, punietur: Væ qui spoliaris, quia spoliaberis.

Sunt & ipsæ Tyrannides gentium pœnæ, sicut scriptum est: Propter peccata populi multæ sunt principum mutationes. Certum est autem singularia Dei beneficia esse, cum dantur salutares successores, iuxta dictum: Nisi DOMINVS *custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Et Daniel inquit:* DEVS *transfert regna & stabilit. In quibus mediocris status est aliquantisper, illa certum est conseruari diuinitùs.*

Hæc primùm considerandæ sunt in hac mutatione, CAROLI *tempore facta. Punita sunt à* DEO *scelera & Imperatorum Orientis, & gentium. Exortum est in Oriente impium regnum Saracenicum: ea mutatio nequaquam fuit salutaris, vastauit Ecclesiam, & extinxit veri* DEI *inuocationem, leges & doctrinas, deleuit ornatissimas vrbes. Est igitur horribilis pœna: Sed iuxta dictum, Misericordiæ Domini, quòd non consumti sumus, salutaris fuit Occidenti translatio summæ potentiæ ad* CAROLVM: *post quem etsi inter successores etiam bella ciuilia orta sunt: vt nulla regna diu quieta sunt: tamen profuit posteritati circiter trecentos annos, videlicet vsq; ad* HENRICVM QVARTVM, *cuius tempore sceleribus Pontificum hoc Imperium languefactum est. Antea* CAROLVS, LVDOVICVS PIVS, ARNOLPHVS, OTTHONES, HENRICVS *Bambergensis,* CONRADVS *Francus,* HENRICVS *Tertius, gesserunt res*

res vtiles Italiæ, Germaniæ, Pannoniæ, & alijs vicinis.

Quomodo autem fiant iustæ & salutares mutationes, & quomodo à latrocinijs & seditionibus differant, sapienter considerandum est. Regula discrimen facit: Omnis qui Gladium acceperit, scilicet non datum à legibus, gladio peribit. Est igitur iusta mutatio, cum is qui arma gerit, verè est ἀμυνόμενος, id est, qui non prior atroci iniuria alios afficit, sed est defensor.

Fiuntq; iustæ mutationes iure belli, id est, cum causa belli iusta est: & fiunt salutares, cum DEVS *armat victorem sapientia, iusticia & fortitudine. Erat* AVGVSTVS *verè ἀμυνόμενος aduersus* ANTONIVM: *& quanquam non erat par bellator, tamen* DEVS *eum adiuuit: Fuit igitur victor ac iure dominus, & fatendum est à* DEO *adiutum esse.*

Sic cum imperia iustè transferuntur, vtrumq; concurrit, iusta causa, & DEVS *armans ac regens Ducem. Erant* CONSTANTINVS *&* THEODOSIVS *verè ἀμυνόμενοι, & erant armati à* DEO *sapientia, iusticia & fortitudine. Ex his fundamentis intelligi potest, & quæ translationes imperiorum sint iustæ, & quomodo intelligenda sit sententia:* DEVS *transfert & stabilit imperia.*

Sunt autem iustæ causæ translationis, cum victor habuit iustam belli causam: aut cum illi, quorum est iusta autoritas, eligunt dominos, vt Rex Dauid præ-

tulit Salomonem cæteris fratribus. HENRICVS Auceps prætulit iuniorem filium OTTONEM Primùm: Principes Persici elegerunt DARIVM.

Disputatur ergò de translatione Italiæ & Axiomatis Imperij in CAROLO, an iustè hæc in eum tranelata sint. Respondeo, iustissimè factam esse translationem iure belli & transactione. Rex Longobardorum DESIDERIVS mouerat bellum in Italia, & occupauerat vrbes, quarum aliæ ad Imperium pertinebant, aliæ ad Romanam Ecclesiam: interfecerat etiam Præsidem in ea parte, quæ erat CAROLI. Erant & Romæ seditiones, & Græci Imperatores nec Italiam, nec nomen defendebant. Vocatus igitur CAROLVS verè fuit ἀμυνόμενος & Regi DESIDERIO capto regnum ademit: Id iure belli iustè retinuit. Cumq; iam Italiæ, Galliæ & Germaniæ iustus Dominus esset, retinuit ea, quæ olim nominabantur Imperium Occidentis. Itaq; Italica nobilitas ἀξίωμα ei Imperatoris tribuit, quo tamen CAROLVS non vsus est, nisi facta transactione cum ijs, qui Imperium Constantinopoli tenebant. Hæc omnia iustè acta sunt.

Quod autem Romani Episcopi fingunt, PETRO datam esse autoritatem regna Mundi vel occupandi, vel alijs tradendi, & à PETRO successores eam tutoritatem habere, id commendicium est. Quia Apostolis traditum est ministerium Euangelicum sine potestate politica, iuxta dictum: Reges gentium

tium dominentur eorum, vos autem non sic. Rectè igitur dicitur, CAROLVM iustis modis Italia & Imperij dignitate potitum esse iure belli, & via transactionis.

Cumq; DEVS det victorias, dicendum est diuinitùs factam esse translationem, & congruere hunc euentum ad dictum Danielis: Deus transfert & stabilit regna. Nec minor fuit Italicæ nobilitatis authoritas in eligendo Imperatore, quàm alibi Byzantinorum. Nec Pontificia renunciatio tribuit imperium: sed est publica testificatio, quæ ostendebat hanc personam iustam esse, & iustè potitam Imperio: Vt pastor Ecclesiæ non dat sponsam sponso, sed testis est legitimi coniugij. Romæ consulatus dabitur suffragijs Senatus & militum: sed is, qui anno proximo Consul fuerat, publicè indicauit, quis esset electus. Talia exempla multa adhuc sunt in vsu. Hæc initiò præfatus sum, vt cogitemus salutarem fuisse mutationem Occidenti, & grati beneficium Dei celebremus, seruantis legitima Imperia & Ecclesiarum hospitia: Deinde & iustas causas humanò iure consideremus.

AVVS CAROLI MAGNI fuit CAROLVS MARTELLVS. Pater fuit Rex Franciæ PIPINVS, qui moriens regnum duobus filijs reliquit, CAROLOMANNO, & CAROLO MAGNO. Sed CAROLVS MAGNVS, CAROLOMANNO fra-

NO fratre mortuo, anno tertio postquam regnare cœperat, solus regno Franciæ potitus est. Adolescens studiosè linguam Latinam didicit, in qua doctorem habuit familiarem, Petrum Pisanum Diaconum. Postea cùm venisset Lutetiam, Alcoinus Anglus Bedæ auditor, erudijt eum in Dialecticis & doctrina Ecclesiæ, cuius summam Alcoinus contraxit in librum, qui adhuc extat: & apparet Augustini doctrinam secutum esse, sicut & postea Hugo de sancto Victore, & alij eum secuti sunt, vsque ad Thomæ & Scoti labyrinthos. Narrant Alcoini consilio constitutam esse Academiam Parisiensem: Ego antè quoque docentium & discentium cœtus ibi fuisse existimo: Sed scribitur disciplinam & studia valdè ibi corrupta fuisse, & multos ibi fuisse magicæ impietati deditos: fortassis quædam Alcoinus emendauit. Ticinensem quoque Academiam institutam esse à CAROLO scribitur: Tanta fuit facundia, vt non deesset ei copia & splendor in patrio & Latino sermone. Versus etiam fecit de Rolando sororis filio:

Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.
Sed qui lustra geris octo & binos super annos,
Ereptus terris, iustus ad Astra redis.

Græcos legatos Græcè loquentes intellexit, sed non respondit longo sermone Græco. In Collegio Osnaburgensi Græcum Lectorem dato amplo stipendio constituit. Deniq; fundationes veterum Collegiorum, quæ

quæ tũc doctrinarum Scholæ erant, ostendunt eum iudicasse ad Principis officium pertinere, curare vt doctrina Ecclesiæ & aliarum honestarum artium propagetur, & rectè doceantur homines. In Monasterio Heluetico sancti Galli adhuc extant literæ CAROLI MAGNI, quibus addita est imago faciei & pectoris in toga Romana, vnde apparet speciem fuisse virilem & plenam maiestatis.

Addam hìc primùm & cætera, quæ leguntur de domestica vita, quam optandum esset copiosiùs descriptam esse, quia domesticæ virtutes sunt commonefactiones omnibus vtiles: Bella cognoscenda sunt, vt mutationes generis humani & mutationum causæ considerentur.

Cumq; vitæ norma Decalogus esse debeat, prima huius virtus fuit pietas. Amplexus est Symbola, & rectè eruditus est ab Alcoino Bedæ auditore, & legit ipse CAROLVS multum Augustini libros: Vnde consentaneum est, fulsisse in eo lucem veræ fidei, ac rectè eum inuocasse DEVM in agnitione & fiducia Mediatoris. Hanc inuocationem publicè ostendit. Quandocunq; enim fuit in vrbibus, accessit ad Psalmodiam, vt historia nominat, & vnà cecinit ipse, & filijs & principibus distribuit lectiones canendas, & precationem suam cum pijs seriò coniunxit. Quàm pulchrum exemplum fuit toti orbi terrarum, tantum Principem acie iam dimicaturum stare in templo, & se, & Ecclesiam, & Imperium Deo commendare: &

preca-

precationem cum pijs omnibus coniungere ipsum Imperatorem, & filios virtute præstantes, & Duces omnes cataphractos in pannoplijs distinctis auro & ferro, & ad cœnam DOMINI reuerenter accedere, vbi ostendebant se & seriò amplecti doctrinam de FILIO DEI, & propter iustas causas bella gerere, & auxilium à Deo bona conscientia petere.

Vsus est autem CAROLVS MAGNVS Alcoino præceptore non tantum in doctrina sacra, sed & tota Philosophia, in qua didicit diligenter cùm alia, tùm vero in primis doctrinam motuum cœlestium ac numerorum. Nam et Ephemerides eum computasse scribunt, & anni mensibus & ventis nomina imposuit, quorum aliqua vsus huc vsq; retinuit. Estq; omnino domestica eius vita, pietatis erga DEVM & parentes, philostrogiæ erga liberos, temperantiæ & aliarum virtutum: publica autem, veræ & non simulatæ pietatis erga Deum, & ardentis studij erga religionem Christianam & Ecclesiam sapientiæ item & fortitudinis, iusticiæ, clementiæ & beneficentiæ erga pauperes, insigne exemplum.

Bella gessit plurima & maxima, & inter hæc longissima & difficilia, Saxonicum, & contra Hunnos. Cùm ergo parte Pipino extincto octauo Calendas Octobris, Anno septimgentesimo sexagesimo octauo, partitus esset cum fratre CAROLOMANNO regna paterna, Suessione frater, Vormatiæ ipse consedit.

Primum

Primum bellum gessit contra Aquitanos, relictum à patre Pipino: vbi reliquiæ Gottorum, odio imperij Francici, nouis subinde rebus studebant, solicitante tum eos ad defectionem Principe Hunoldo Aquitaniæ Duce. Hunc fugientem ad lupum Vasconum Ducem, cum missis legatis tradi sibi postulasset, Lupus & illum & sese dedidit. Amisit autem paulo post Carolomannum fratrem, anno Christi septingentesimo, septuagesimo primo: cuius vxor Berta cum filijs, consilio Adomari cuiusdam fugit in Italiam ad DESIDERIVM Regem Longobardorum, vel odio vel metu CAROLI: quæ res in magnam spem erexit Desiderium, antea cupidum & vrbis Romæ, & Imperij in Italia post eiectos Exarchos, & metuentem Francos, quorum cum Romanis coniunctio ei non poterat non esse suspecta. Perfecturum enim se confidebat, vt CAROLOMANNI filij, Reges Franciæ à Pontifice renunciarentur. Id si fieret, sperabat aut Francos ad hos à CAROLO sponte defecturos, aut bella inter vtrosq; intestina exoritura esse, quibus inter se collisa frangeretur potentia Francica. Cùm itaq; aliquantò antè Paulum Auiartam Græci Imperatoris Cubicularium incitasset ad repetendum Imperium vrbis Romæ, & sæuitiam in ciues exercendam, & Episcapatus Rauennatensis constitutionem sibi sumeret, his verò nihil se proficere experiretur: offert se ad fœdus cum Pontifice & Romanis ineundum, & petit à

Ponti-

Pontifice, vt CAROLOMANNI filios Reges Franciæ renunciet: Verumq; recusante Pontifice fiducia auxiliorum Francicorum, DESIDERIVS rem aperto bello aggreditur.

Hæc causa fuit & occasio belli Longobardici. Euocatus enim à Romanis CAROLVS ad vrbis Romanæ defensionem, primò missis legatis hortatur & rogat DESIDERIVM, vt abstineat ab Exarchatu & omnibus ijs, quæ essent Romanorum, & parcat vrbi, reddat etiam occupata: quibus cum ille nil moueretur, Carolus irritatus conuertit partem apparatus bellici, quem in Saxones instruebat, contra DESIDERIVM, & transmissis Alpibus descendit in Italiam, vbi cum DESIDERIO apud Vercellas congressus, hunc acie victum in fugam coniecit. DESIDERIVS diffidens rebus suis, Adalgisium filium cum CAROLOMANNI coniuge & liberis Veronam collocat: ipse Ticinum munit, ibi CAROLVM & belli euentum expectaturus. Conclusum ergò intra Ticinum Desiderium CAROLVS obsidet: cumq; produceretur obsidio, mense sexto, relicto ad Ticinum Bernhardo patruele, ipse copiarum partem Veronæ admouet. Hanc statim capit deditione. Adalgisio DESIDERII filio clàm profugiente ad Imperatorem Græcum, metu Bertæ coniugis CAROLOMANNI, quæ vrgebat vt fieret deditio. Potitus ergo Verona & magna parte ditionis Longobardorum, Romam proficiscitur, vbi quòd Italiam vindicasset in libertatem, & vrbi à metu Longobardorum liberatæ defensionem præstitisset, ac porrò se præstiturum, recepisset, deniq; Pipini patris donationem sanxisset, vt Imperatoriæ dignitatis fieret capax, inter patricios ascriptus est. Collata quoq; tunc est in eum autoritas omnis Imperatoris propria, & ipsius etiam Pontificis creandi potestas: Sed nec dignitatem accepit, nec titulum vsurpauit, nec potestatem exercuit Imperatoris ante debellatos tota Italia Longobardos, & factam cum Græcis transactionem.

Reuersus ad obsidionem Ticinensem, decimo tandem mense vrbem cepit, peste intus & fame grauiter afflictam, & DESIDERIVM Regem cum coniuge et liberis comprehensum relegauit Leodium, vbi in exilio mortuus est. Etsi autem Adalgisius aliquantò pòst adiutus auxilijs Græcis repetere patrium regnum conatus est, tamen à Francis repulsus & interfectus est.

Hic finis fuit regni Longobardorum in Italia, quod durauit annos ducentos quatuor, gubernatum à Regibus dissimilibus: inter quos aliqui excelluerunt virtute, aliqui cum crudelitatis, iniusticiæ, auaritiæ, & parricidiorum suorum dederint pœnas, testimonia prebent iræ diuinæ aduersus iniustos & tyrannicos conatus. DESIDERIVS appetens aliena, amisit sua: Italiam oppressurus, ipse in seruitutem venit regno exutus, iuxta dictum: Væ qui spolias,

quia spoliaberis. Etsi autem CAROLVS potitus regno Longobardorum, regem sustulit: tamen nec gentis nomen, aut sedem mutuit, nec cæteris eiusdem gentis Ducibus, in Spoletano, Eporegiensi & Foroiuliensi, ea quæ tenebant eripuit, Exarchatum autem nomine mutato appellauit Romandiolam, vt tota memoria imperij Græcorum in Italia deleretur. Incidit hæc mutatio in annum CHRISTI septingentesimum septuagesimum tertium.

Longobardico bello confecto, rediit CAROLVS in Germaniam, & totum sese ad bellum Saxonicum conuertit, quod ante expeditionem Italicam inchoauerat anno Christi septingentesimo septuagesimo secundo, deuictis magno prælio & fugatis Saxonibus ad fontes Lupiæ amnis. Causa belli Saxonici præter eas æmulationes & odia, quæ solent esse inter vicinas gentes ex suspicione & metu crescentis potentiæ, præterq; contentiones de finibus, fuit religionum diuersitas, Francis Christianam, quam erant amplexi, Saxonibus Ethnicam veterem mordicus retinentibus ac tuentibus. Sæpe itaq; armis petitus sæpe injurijs lacessitus, CAROLVS MAGNVS à vicinis Saxonibus, tandem in bellum Saxonicum, quòd etiam à patre & auo gestum fuerat, totis viribus incubuit.

Hoc bellum longum fuit ac difficile: Durauit enim annos totos trigmta tres, Saxonibus ad quascunque defectionum occasiones bellum reparantibus, Etsi autem

autem Saxones irruptionibus crebris et subitaneis sæpe & terruerunt Francos, & quæ horum erant diripuerunt: tamen vt plurimum virtute Francorum, qui ad limites in excubijs erant, repulsi succubuerunt. Bis tantum iusto prælio inter eos decertatum esse scribitur, Francis ipso CAROLO MAGNO duce victoribus, & quidem vno mense, paucorum dierũ interuallo: Vno ad montem, cui sacellum postea impositum memoratur diuini auxilij nomine: altero ad fluuium Hasam: vtriusq; prælij locum adhuc hodie incolæ monstrant. Excursiones verò & velicationes, quæ crebræ fuerunt, multos vtrinq; præstrantes viros mutuis cædibus confectos peremerunt.

Apud Saxones præcipua fuit potentia Vuidechindi Ducis Angriuariorum, qui imperauit terris Visurgin, vir animi magnitudine ac robore, arte & vsu belli, consiliorum celeritate ac promtitudine præstantissimus. Hunc non tam aduersa belli fortuna, quàm sua lenitate ac mansuetudine expugnatum, imò delenitum potius, cum in suas partes, & suam de religione sententiam tandem pertraxisset, quod factum scribitur Bardouici, reliquum huius belli non magno negotio confecit per Duces suos, edomitis ac subactis reliquis, qui mutationi religionis, quam CAROLVS moliebatur, aduersabantur. Quosdam ex his pertinaci studio suæ religionis & odio imperij Francici, exilij spontanei gratia mutato solo patrio traiecisse in ea Septentrionis loca reperio, quæ sunt Borussorum.

Post Vuidechindum celebrant historiæ Albionẽ, qui ad Albim fluuium & Herciniæ iuga sedes habuit & imperium: Horum Principum familiæ fuerunt tunc præcipuæ in Saxonia, inter eas quæ celebrantur numero duodecim. A Vuidechindo propagati sunt HENRICI duo AVCEPS & Bambergenſis, Ottones tres. In eundem referunt originem Ducum Saxoniæ, & Marchionum Miſnenſium, quos à Vuidechindo eius filio deriuant: In Italia Ducum Sabaudiæ, vbi olim habitarunt Allobroges, & Marchionum montis Ferrati. In Gallia Regum, qui nunc rerum potiuntur, numerata origine ab Hugone Capeto per annos quingentos. Albionem nonnulli faciunt Principem eius familiæ quæ nunc eſt principũ Aſcaniæ, quæ hanc totam oram Albi & iugis Herciniæ vicinam poſſedit & fortiter defendit armis amplius ſexcentis annis, & diu potentia ac rebus bello feliciter geſtis claruit, ex qua ſe familia ortos gloriantur nobiles Vrſini in vrbe Roma: quod valdè veriſimile eſt, cum non ſit dubium, cùm ab alijs Imperatoribus alibi, tum à CONRADO Tertio Præfectum Hetruriæ datum eſſe ex hac familia. Alij verius inſerunt eum poſteritati Sighardi, & tradunt patruelem fuiſſe Vuidechindi primi natum Edelhardo patre, qui frater fuit Vuernechini, patris Vuidechindi. Vtriuſq; Edelhardi & Vuernechini patrem, Dittericum nominant Sighardi filium. Reliquæ Principum in Saxonia familiæ interierunt, & quæ nunc dominantur, aut nouæ ſunt in his terris atq; inſiticiæ, aut Henetæ.

CAROLVS MAGNVS ergo deuictis inter initia belli Saxonibus duobus prælijs, paulatim progreſſus, vt de vero DEO gens Saxonica rectè doceretur, & aſſuefieret ad veram DEI inuocationem, cuius rei cauſa bellum tantum ſuſceperat, deſtruxit & ſuſtulit Idola in alijs locis alia, ad quæ fiebant concurſus: & condidit Eccleſias, quarum curam & gubernationem commendauit Epiſcopis viris pijs & ſanctis. Primò vltra Viſurgim Occidentem verſus, peculiarem Epiſcopum collocauit Oſnaburgi: citra Viſurgim alium, in oppido quod nominant Hiſtorici Selingſtet, vnde poſtea ſedes Epiſcopalis translata eſt Oſteruuigum, & inde Halberſtadium: Ac memor dicti Eſaiæ, Reges erunt nutritores tui, Eccleſijs attribuit certos reditus, quibus Epiſcoporum & miniſtorum Eccleſiæ, & aliæ pauperes familiæ alerentur: Id factum ſcribitur circa annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum ſextum. Conſtituit aliquantò pòſt plures Epiſcopos alibi, extructis ac diſtinctis Eccleſijs, & reditibus deſtinatis, vnde ſuſtentarentur: vt Padebornæ, vbi audiuit legatos miſſos ad ſe à Regibus ex diuerſis partibus orbis terrarum: Item in oppido Mungeroda, de cuius translatione extitit Monaſterienſis: Hildeſij, Bardouici, Vnde Vuerdam commigrauit: Adiunxit autem docentium & diſcentium Collegia, ſicut adhuc teſtantur

distincta Canonicorum nomina, quæ illi, omissa cum rerum & officiorum, quæ titulis honestissimis profitentur & ostentant, solam vmbram veteris constitutionis & consuetudinis, cum opum possessione retinuerunt, & populo terriculamentis vanæ falsæq; superstitionis fascinato, pro salutari doctrina in templis theatrica Ceremoniarum spectacula obtruserunt, quæ fuerunt superstitionis nerui: In Collegio Hildesiano scribunt educatum esse & institutum HENRICVM sanctum. Bremensem Ecclesiam condidit anno à nato Christo septingentesimo octogesimo octauo, cui Episcopum præfecit Vuilhadum natione Anglum. Mindensem aliquanto antè fundasse memoratur, anno septingentesimo octogesimo quinto, quo Vuidechindus deposita cum armis superstitione Ethnica, suscepit professionem religionis Christianæ.

Sed huius belli tempore, quod productum est in annum CHRISTI octingentesimum octauũ, multa gessit alia bella difficilia & magna contra Saracenos, qui occupatas Hispanias fuerant partiti in duo præcipua regna, sedibus constitutis Cordubæ & Illiberi, quam hodie Granatam vocant, & sæpe Galliam antè tentarant infestis armis. Contra illos ergo magnum duxit exercitum, comparatum ex Francis Longobardis & Italis, anno septingentesimo septuagesimo octauo, ac recepta Pampelone, præcipua Vasconum vrbe, congressus cum Saracenis ac victus, amisit quadraginta millia hominum, Cæcidit in eo prælio

prælio Milo Anglerius Rolandi Pater. Pòst reparato & aucto exercitu denuo cum illis conflixit, in quo conflictu cum Saracenorum dux Egolandus interfectus esset, CAROLVS dissipatis reliquijs Saracenici exercitus, totam citeriorem Hispaniam vsq; ad Betim fluuium recepit. Paulò pòst copiæ Francicæ perfidia Vasconum denuo à Saracenis circumuentæ, magnam acceperunt cladem, in qua Rolandus filius sororis CAROLI siti extinctus est, cum quidem inter præclara eius diei facinora sua manu iugulasset Masirium summum Ducem exercitus Saracenici. Hunc Rolandum quanti fecerit CAROLVS MAGNVS, indicant versus Epitaphij suprà recitati, quibus mortem eius deplorat. Vltus est hanc perfidiam in Vuasconibus CAROLVS grauissimè & repulsis Saracenis, quæ in Hispania subegerat præsidijs confirmauit.

Debilitati hac strage Saraceni, etsi nullas postea vindicandæ cladis & recipiendæ Hispaniæ occasiones prætermiserunt, tamen nihil profecerunt. Paulatim enim sese erexit rursus & prompsit Gottorum virtus, qui non passi respirare Saracenos, dum inter se Franci dimicarunt, interea armis repetiuerunt illa, quæ occupata olim à Saracenis, & recepta recens à Francis, non satis firmo præsidio contra Barbaros defendebatur. Cùm autem plures essent Gottorum Principes, factum, vt cum singuli in ijs quæ occupassent

regna conderent, Hispania in plura sit regna diuulsa, quæ tandem ad vnam Regum Tarriconensium stirpem redierunt.

Hispanico bello confecto, cum reliquiæ Longobardorum in Italia tumultuarentur, Carolus ingressus in Italiam cum exercitu, bellum intulit Agarisio Duci Beneuentano: qui statim, vt de aduentu Caroli cognouit, præmissis obuiam filijs Rimoldo & Grimoldo, sese in fidem eius tradidit. Ita pace impetrata, sese & sua conseruauit, filioq; natu minore relicto apud CAROLVM obside, alterum beneficio victoris recepit. Scribunt & ante Hispanicam expeditionem CAROLVM Longobardos in Italia tumultuantes compescuisse: & Foroiulij Ducum capite truncasse, vt exemplo cæteri à defectione absterrerentur: ac deinceps Romam profectum esse sacrorum causa, ducta eò secum coniuge & liberis.

Inde reuersum bellum Bauaricum excepit, quod mouit Tassilo Rex Boiorum gener DESIDERII Regis Longobardorum, metu imminentis ex propinquo potentiæ Francicæ, & persuasu coniugis, quæ maritum instigabat, vt patrem è carcere vi & armis extractum reduceret in regnum. CAROLVS ergo occurrit Tassiloni dnobus distinctis exercitibus, quorum vnum duxit Pipinus filius, per Iulias & Carnias Alpes. Hac celeritate territus Tassilo pacem petiuit & impetrauit. Factam pacem scribunt Augustæ Vindelicorum ad Licum amnem, qui distinxit Alemannos à Boijs, Sed non multò pòst Tassilo violatis pactis, & fœdere inito cum vicinis Hunnis & Auaris, renouauit bellum: in quo non destitutus tantùm, sed insuper accusatus etiam à suis violatæ fidei, ac CAROLO traditus, Lege Salica condemnatus est ad regni abdicationem. Carolus ergo regno multatum vnà cum filio Dedone, vt nouarum conspirationum ac molitionum occasiones omnes vtriq; adimeret, in Monasterium vtrumq; inclusit, quod adhuc non procul ab Heidelberga nomen Laureaci retinet. Ita Tassilo metu & vindictæ cupiditate, moto non necessario bello, in ea sese pericula coniecit, quæ depellere voluit: sicut sæpe quæ arcere aut elidere conantur homines mala intempestiuis consilijs, his ea attrahunt & accelerant in sui suorumq; perniciem. Regno excussus, pœnas dedit tentatæ vindictæ priuatæ, & perfidiæ ac seditiosorum conatuum, iuxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et de bellis non necessarijs præclarè Pindarus inquit: ἐᾷ μάχαν, ἐᾷ πόλεμον χωρὶς θεόν.

Hic finis fuit regni Boiorum, quod cœpisse scribunt anno à nato Saluatore quingentesimo quinquagesimo sexto, quo Hunnorum irruptiones præcipuas Europæ gentes ad arma concurrere, & immanem sæuitiam à ceruicibus suis depellere coëgerunt: Et cœpisse quidem cum Adalgerio primo Boiorum Rege: desijsse autem longa successorum serie in hunc Tassilonem, anno Christi septingentesimo octogesimo octa-

mo octauo. Durauit ergo annos trecentos, triginta duos Bauarorum nomen. Sũt qui existimant compositum esse ex Boijs & Auaris, quos CAROLVS deiectis ac depulsis Hunnis regioni Boiorum adiecit. Tenuit autem Bauariam posteritas CAROLI MAGNI vsq; ad OTTONEM primùm, qui eam fratri HENRICO tradidit, cuius HENRICI nepos fuit HENRICVS Sanctus, qui cum Sobole careret, coniugis Cunigundæ fratrem HENRICVM Bauariæ imposuit: quo extincto rediit Bauaria ad HENRICVM Tertium Imperatorem: Hunc quæ sint secutæ mutationes, suo loco dicetur.

Post euersum regnum Boiorum, CAROLVS suscepit expeditionem in Sorabos, qui eam regionem, quæ nunc est gentis Mysorum, ad montes Sudetos & ad Albim ac Salam flumina, tenuerunt: vtraq; hæc progressi, crebris incursionibus deuastarunt Saxoniam & Turingiam, atq; in his terris multa occuparunt. Ab hoc bello retractus est ad defensionem regni Boiorum recens occupati, contra Hunnos & Auaros, qui ex fœdere & pacto cum Tassilone Rege, supra Amesum fluuium, qui limes fuit Boiorum & vicinorum Hunnorum atq; Auarum, ductis exercitibus terram Boiorum cœperant depopulari: Hos octo annorum continuo bello primum debilitatos, tandem edomitos, & toto eo tractu, quem incolebant Boijs vicinum, summotos, depulit vltra Arrabonem amnẽ, qui antiquitus superiorem Pannoniam ab inferiore discre-

discreuit. Primo belli anno, qui fuit annus Christi septingentesimus nonagesimus primus, maximam partem nobilitatis Hunnorum felici prælio deleuit, cui ipse se & affuit & præfuit: reliquis septem annis, administrationem rei bellicæ commisit LVDOVICO filiolo.

Hoc bello victor Pannoniam superiorem constituit limitem regni sui versus Orientem contra Hunnosos & Auaros: cumq; Germaniam Galliæ coniunctã in duo distinxisset regna illud quod in Galliam pertinuit, vocari cœptum est, Germanico nomine Vuestreieich., id est, Occidentale regnum: hoc, quod Orientem spectauit, Osterreich, id est, orientale regnum, cuiuius cum limes esset versus Ortum recens Hunnis erepta Pannonia, abolito Pannoniæ nomine, tractus ille dici cœpit Marckosterreich. id est, limes regni Ortrientalis. Ex appellatione Germanica Osterreieich, factum est nomen Austriæ: Sed Marchiæ nomen cum dignitate mutatum est in Ducatum multò postea à FRIDERICO primo Imperatore. Ante hanc mutationem rexerunt eam terram Marchiones, qui Latinis sunt Præsides limitum: inter quuos historiæ primum celebrant Leopoldum cognomento Illustrem, ex familia Ducum Sueuiæ & Alberti Comitis Bambergensis, temporibus HERICI AVCVPIS: Ex prioribus pauci nominantur, & sine commemoratione rerum ab ipsis gestarum. Huius Leopoldi stirps cũ defecisset, Rodolphus Habsburgen-

burgensis Imperator, Ducatum Austriæ tradidit filio Alberto, à quo origo est Ducum Austriæ hoc tempore.

Pannoniam superiorem postquam Romani occuparunt, dederunt eam intolendam duabus legionibus Germanicis, vndecimæ & decimæ quartæ: & consentaneum est, partem eius etiam tenuisse veteres Gottos. Fuisse autem Germanos veteres Pannoniæ citerioris vel superioris colonos, multorum locorum appellationes testantur, quæ planè originem Germanicam referunt. Nomen Budæ prorsus idem est cum Germanico Baden, factum à vicinis Thermis, quarum circa Budam magna copia & varietas est: & congruit appellatio cum Vngarico Besten. Vesprimum Vngari nominant, quod Germani dixerunt Vueisbrun, ab albo fonte, qui adhuc eo in loco sub arce Episcopi osteditur. Vlteriorem Vngariam tenuerũt Gotti.

HVNNI ergo duce Attila infusi à Septentrione Gottos oppresserunt: sed Attila mortuo, rursus à Gottis excussi: pars eorum remigrauit in patriam veterem: pars in Vngaria remansit suscepto imperio Gottico. Dominati itaq; sunt Gotti in Pannonia rursus vsq; ad IVSTINIANVM Imperatorem, annis post Attilam amplius centum.

Sub Iustiniano reuersi Hunni cum socijs seu Auaris seu Iuuaris quorum vetus patria vltra Rha fluuium & supra Caspium mare, versus Ortum & Septentrionem, veteri nomine adhuc hodie nota est, Pannoniam denuò subegerunt, Gottis partim deletis, partim intra montana compulsis, & finibus prolatis perer Pannoniam superiorem vsq; ad Amasum fluuiũ.

Tenuerunt autem Hunni & Auari Pannoniam vsq; ad CAROLVM MAGNVM, cuius imperio & ordinatione superior Pannonia Marchiæ nomen accepit, cum regni Orientalis adiectione: hinc Austririæ nomen profectum est, quæ complectitur hodie Pannoniæ superioris partem & Noricum Ripense.

Marchiam Stiriæ tunc etiam constitutam esse existimo, partim contra eosdem Hunnos, partim contra Graecos Imperatores, & subiectos his Illyricos ac Dalmatas. Quæ verò de ductis ex Saxonia colonis à CAROLO in Daciam, quæ nunc Transsyluania est, referuntur, fabulosa sunt. Transsyluanos enim Dacorum & Gottorum veterum reliquias esse non dubito: q; quibus accessisse coniicio Pannoniæ superioris colonos Germanos, quando pulsi ab Hunnis & Auaris is nouas sedes quæsiuerunt.

Fracti hoc bello Hunni & Auari quieuerunt vsq; ad Ludouicum Arnolphi filium, quo imperante denuò ijdem instauratis viribus & irruptionibus aliquoties itereratis, Germaniæ Italiæq; cædibus, incendijs ac direptptionibus, damna maxima & detrimenta intulerunt: donec aliquot funestis cladibus grauiter afflictos ab HENRICO AVCVPE & OTTOONE primo, & iam ex longa cum vicinis consuetu-

suetudine mansuefactos nonnihil, & aliquo Christianæ religionis gustu imbutos, tandem HENRICVS *Sanctus fœderibus ac societate cum Imperio coniunxit, Stephanum enim Ducem eorum, regio diademate ornatum post conuersionem ad fidem Christianam, affinitate sibi deuinxit, data ei in vxorem sorore Gisela, & dotis loco addita parte Pannoniæ superioris infra Leucam amnem, vbi sita sunt oppida, Posonium, Sempronium, Odenburgum & alia.*

Huius belli tempore scribunt CAROLVM *deliberationes habuisse de coniungendis Danubio & Rheno: flumine Alemanno, qui Danubio miscetur, ducto in Pegnessum, qui in Menum influit: Meno tandem ad Moguntiam in Rhenum sese effundente: sed operis impossibilitate coactum tandem ab incepto destitisse.*

Posterior aliquanto fuit suscepta à Godefrido Danorum Rege expeditio aduersus CAROLVM. *Sed Godefridus, cum post occupatam Frisiam comperisset* CAROLVM *accelerare ad huius defensionem, regressus cum classe, à suis est interfectus.* CAROLVS *ergo insequendo hostem fugientem progressus est ad Nordalbingos vsq; qui nunc Holsati sunt & Ditmarsi, sic dicti, quòd vltra Albim ad Septentrionem habitant: Referũt autem hæc in annũ* CHRISTI *septingentesimum, nonagesimum octauum. Anno proxime sequente, cum Romanis inuolantibus in ea, quæ erant imperij, Leo Pontifex sese opponeret*

neueret vim prohibiturus, exortus est in vrbe Roma tumultus: in quo Leo Pontifex malè multatus & in carcerem detrusus, cum opera Albini Cubicularij inde de euasisset, confugit ad CAROLVM, *in Saxonia tu tunc cum exercitu hærentem ad Padebornam.* CAROLVS *cognitis quererlis Pontificis, iussit eum præcedere, ipse cum exercitu secutus, venit Romam octauo Cal. Decembris, Anno octingentesimo. Ibi compositis controuersijs & tumultibus sedatis, octauo Cal. Ianu. i. i. e. ipso die natalis Domini nostri* IESV CHRISTI, *Imperator Romanorum renunciatus est à Leone Pontifice, populo his verbis acclamante:* CAROLO AVGVSTO *à* DEO *coronato, magno & pacifico Romanorum Imperatori, vita & victoria.*

Tenebat imperiũ Orientis tum sola Irene mater er CONSTANTINI, *qui à* LEONE *Isauro o quartus fuit. Hæc cum filio primùm conciliasset nuuptias filiæ* CAROLI MAGNI, *& fœdera cum Francis fecisset, postea irritata iniurijs filij, excæcatum eum inclusit in Monasterium, ac ruptis fœderibus incitauit reliquias Longobardorum suis copijs adiunctis vt ex Italia Francos expellerent: Sed re infeliciter tentata, cum* CAROLVM *confirmata potentia videret Italia potiri, missis legatis transegit cum eo, & totum Occidentis Imperium ei concesit, connubio insuper promisso: quod indigne ferens* NICEPHORVS, *excussa Irene rapuit imperium Orientis: sed mox eodem modo cum* CAROLO *transegit*

Salis

Salisburgi, vt quod occuparat Imperium Occidentis retineret. Hæc pacta postea renouauit MICHAEL Curopalates, anno octingentesimo duodecimo, qui Nicephoro acie victo & cæso à Bulgaris, successorem eius Stauratium filium Imperio exuit: Confirmauit eadem LVDOVICO filio CAROLI, LEO Imperator post MICHAELEM. Ita CAROLVS MAGNVS factus est Imperator Occidentis: primùm iure belli, occupata armis Italia & vrbe Roma, Longobardorum regno destructo, & pace restituta, atq; legibus ac præsidijs communita: deinde transactione cum Imperatoribus Græcis, qui vt veri domini, omne ius, quod habuerunt in imperium Occidentis, CAROLO concesserunt. Neq; accepit Imperium à Pontifice, cuius renunciatio, neq; electio fuit neq; traditio, sed declaratio saltem, quòd CAROLVS esset verè Imperator iure belli & concessione Imperatorũ Orientis, consensuq; & subiectione populi Romani: Nec Pontifices in vrbem Romam iuris quidquam sibi vendicasse aut vsurpasse tunc, sed ea tantum, quæ ad res sacras pertinerent procurasse, prodiderunt omnes.

Est autem CAROLVS MAGNVS vnus inter summos & salutares Monarchas orbis terrarum, qui excitatus & adiutus diuinitùs, Imperium Occidentis post vltimi VALENTINIANI cædẽ à diuersis gentibus appetitum, tentatum et horribiliter laceratum, primus restituit, ceu de collectis tabu-

tabulis ex naufragio trecentorum annorum: & legibus id constituit ac sanciuit, coniunctis Germania Gallia & Italia, & comparata potentia, quæ par esset vicinis hostibus ex omni parte: Saracenis tenentibus Hispaniam vltra Iberum versus Occasum Sclauis accolentibus Albim & Salam ad Ortum & Septentrionem: Hunnis & Auaris ad Ortum & Meridiem: quas gentes omnes cum opprimere non posset, fractas tamen repressit ac domuit, & hac potentia opposita inter certos limites coërcuit. Nec pacem tantùm reddidit Occidenti: sed, quod multò maius est, et tanto principe dignius, deletis Idolis, Ecclesiam FILII DEI propagauit, & templis conditis constitutis doctorum virorum collegijs, ordinatis Episcopis, ac destinatis reditibus, vnde hi viuerent & alerentur, perfecit vt homines rectè de DEO docerentur, et ad veram DEI inuocationem assuefierent.

Sexto anno post acceptum Imperium, cùm bellum Saxonicum anno præcedente finiuisset, filijs hæreditaria & acquisita regno testamento distribuit.

Habuit autem vxores plures: primam Hermingardin filiam DESIDERII Regis Longobardorum, quam repudiauit: secundam Hildegardin natam ex nobili familia Godefridi Ducis Alemannorum, quæ cum peperisset ei filios tres CAROLVM, PITINVM, & LVDOVICVM, & quatuor filias, mortua est pridie Calendarum Maij, anno septingentesimo octogesimo tertio, Post

Hildegardin duxit Fastradam, filiam Comitis Francorum, quæ decessit quarto Idus Augusti anno septingentesimo nonagesimo secundo, & sepulta est Moguntiæ in templo Sancti Albani. Ex hac natæ ei scribuntur filiæ duæ, Post Fastradam duxit Luitgradam Alemannam.

Suscepit & naturales liberos plures ex concubinis diuersis, quorum Pipinum gibbosum, propter conspirationem initam cum quibusdam contra ipsum, coniecit in Monasterium. Ex legitimis filijs, LVDOVICVM Galliæ & citerioris Hispaniæ: PITINVM, Italiæ: CAROLVM Germaniæ Regem fecit, qui contra Sorabos profectus Rege eorum Miloduco cæso, arces extruxit ad Albim & Salam.

Extat in historijs forma testamenti CAROLI MAGNI, in quo filijs præcipuè curam Ecclesiarum commendat. Sed filiorum duo viuo patre decesserunt ex hac vita: PITINVS octauo Idus Iulij anno octingentesimo decimo, relicto filio Bernhardo, & quinq; filiabus: CAROLVS pridie nonas Decembris anno sequenti. His extinctis cum Saraceni & Mauri inuaderent Italiam, misit ad Italiæ defensionẽ Bernhardum nepotem. In hac expeditione duæ vrbes à Saracenis captæ & direptæ sunt, Nicæa in Gallia Narbonensi, & Centumcellæ in Hetruria. Alioquin his postremis annis nulla insignia bella gessit, nisi contra Sclauos & Sorabos. Fuit autem terrori & admirationi omnibus exteris Regibus, ita vt Persarum Rex

Rex & Maurorum Principes expetierint amicitiam eius missis legatis, qui ab eo auditi esse scribuntur ad vrbem Padebornam: Inter munera à Persico Rege missa, scribitur fuisse Horologium αὐτόματον, mirâ arte fabrefactum, quod sonitu tintinabuli horas dissignauit & indicauit: Id præcipue CAROLVS admiratus est & imitatus.

Post partam pacem & munitum contra vicinos hostes Imperium, præcipuè ei curæ fuit constituere Ecclesias, & regna exornare ædificijs. Extruxit ergo regias duas, vnam in Ingelheim, vbi natus est, alteram Neomagi: & ad Moguntiam Rhenum ponte strauit, cuius longitudo fertur fuisse quingentorum passuum: Hic pons anno ante mortem eius proximo, subitò & fortuito incendio inter horas tres totus conflagrauit, in cuius ædificatione totos annos decem & pecuniæ ingentem vim consumserat. Aquisgrani tẽplum condidit, in quo sepultus est. Annis ante mortem quatuor proximis, crebris laborauit febribus, quibus grauiter afflictus, cum se non diu superstitem fore sentiret, accersitum ad se ex Aquitania Ludouicum filium, Imperatorem Romanum creauit & renunciauit: Bernhardum ex Pipino nepotem Regem Italiæ fecit, anno octingentesimo decimo tertio. Tandem mense Ianuario anni sequentis ardente febre correptus, laterum dolore, quem vocant Pleuritidem, extinctus est, quinto Calend. Februarij, hora diei tertia, cum vixisset annos septuaginta duos, imperasset quatuordecim.

Anno Christi Saluatoris octingentesimo decimo quarto.

Anno à Mundo condito quatermillesimo septingentesimo septuagesimo sexto.

Mutationi autem, quæ in orbe Christiano hoc tempore facta est separatione Imperij Occidentis ab Orientali, causam præbuit præter Tyrannidem, ignauiam, luxuriam, & luxum Exarchorum Græcorum in Italia, certamen de adoratione statuarum & imaginum, cultuq; sanctorum: de quo crudelia certamina fuerunt in Ecclesijs Græcis, Episcopis vrgentibus & propugnantibus, Imperatoribus prohibentibus & abolentibus cultum statuarum. LEO *Isaurus enim Imperator Græcorum, abauus huius* CONSTANTINI *qui* CAROLI MAGNI *filiam duxit, cultum statuarum, qui superstitiosa cõsuetudine paulatim inoleuerat, & iam in obsessis hominum animis penitùs insederat ac radices egerat: Illum ergo cultum tanquam impium & Idolatricum abrogarat, & imagines omnes ac statuas ex templis eijci præceperat, vnde εἰκονόμαχοι vocatur. Extiterunt inde motus maximi in Græcia, quòd Episcoporum plurimi Imperatori aduersati sunt, & has eius actiones, vt impias calumniosè traduxerunt. Cumq; patris exemplum etiam imitatus esset Constantinus Copronymus: Romani Pontifices, qui alioquin Imperatores Græcos oderant multis de causis, occasione sumta ex his actionibus, quas improbabant, ab*

ab Imperatoribus Græcis cœperunt paulatim & sese & res Romanas ad Francos inflectere, quòd fidem præstare & obedientiam Imperatoribus, quos ipsi iudicarent impiè facere, non tenerentur. Estq; de hac re disputatum, donec Italia tota Franci potiti sunt, sub hoc Constantino, genero CAROLI MAGNI: *sub quo certamen de cultu statuarum tandem eò deductum est, artibus Episcoporum & consensu Imperatoris vtriusq;, vt celebrata sit Synodus Niceæ, quæ vocatur Oecumenica septima, in qua publico decreto statuæ restitutæ sunt, & confirmata est adoratio earundem impia & idolatrica, & anathemate sunt notati, qui in his oppugnandis, Imperatoribus operam suam accommodârant. Motum & tunc est certamen de pane consecrato abijciente suam naturam, quod fieri κατὰ μεταποίησιν scripsit Iohannes Damascenus, qui prima huius noui delirij fundamenta iecit.*

LVDOVICVS PIVS.

LVDOVICVS *solus de* CAROLI *filijs superstes post patrem, cognita patris morte ex Aquitania reuersus, administrationem Imperij suscepit Aquisgrani. A religiosa superstitione cognominatus est* PIVS. *Nam & festa, & Idolatricos cultus sanctorum, & superstitiosas obseruationes ordinis Monastici auxit: sed patri neq; sapientia, neque virtute, neque industria par fuit: cœpitq; cum hoc*

non degenerare tantùm præstantia virtutis, quæ fuit in maioribus, Patre, Auo & Abauo CAROLO MARTELLO, sed & autoritas minui. Venit in odium apud Imperij proceres propter sæuitiam, quam exercuit in fratris filium Bernhardum Regem Italiæ & huic coniunctos: apud filios verò propter nouercæ molitiones, quæ patrem contra priuignos concitabat, vnde & ciuile bellum inter patrem & filios exarsit. Habuit enim primò vxorem Ludouicus Irmengardim filiam Ingrami Andium Ducis, ex qua ei nati sunt filij tres, Lotharius, Pipinus & Ludouicus. Hac mortua biennio ante susceptum Imperium, duxit alteram Iudittam filiam Vuelphi primi Comitis Altorfensis in Sueuia, sororem CONRADI & RODOLPHI Principum, ex qua suscepit CAROLVM cognomento Caluum. Ante Imperium magnas res gessit, præcipuè contra Saracenos in Hispania. Imperio potitus exemplo patris, primum Lotharium Regem Boiorum, Pipinum Regem Aquitaniæ creauit: Ludouicum minimum natu retinuit apud se, sed titulum Regis Italiæ ei tribuit. Ea res & quòd Imperator mox inter initia gubernationis suæ Danico bello implicaretur, mouit Berhardum Italiæ Regem filium Pipini, vt arma expediret contra Imperatorem, & hunc aditu Italiæ prohibere ac regno Franciæ exuere institueret. Incendebatur autem & assentatorum vocibus, quibus persuadebatur regnum Franciæ ipsi

ipsi deberi & non LVDOVICO. Ergo LVDOVICVS Danicis rebus compositis, cum magno exercitu Italiam ingreditur: Cuius aduentu territi plerique ex socijs Bernhardi diffugiunt. Bernhardus destitutus à suis tradidit se Imperatori, cum Pipini filio & nepotibus ex hoc tribus, Bernhardo, Pipino & Eriberto. Imperator eum in Germaniam abductum, & Aquisgrani ad capitis supplicium condemnatum, sed vita donatum, oculis priuat, & in Monasterium includit, in quo paulò pòst mœsticia extinctus est. Factum id est anno Christi octingentesimo decimo octauo. Alienauit hoc nouæ crudelitatis exemplum animos multorum ab Imperatore. Eodem anno Mormannum Britonum Præfectum, qui se Regem appellârat per seditionem, acie victum interfecit, & totam Britanniam citeriorem recepit. Bernhardo Rege Italiæ sublato, fecit Regem Italiæ LOTHARIVM filium, & simul CÆSAREM Vxorem ei despondit Irmengardin Hugonis cuiusdam FILIAM, Anno octingentesimo vicesimo primo. Eundem postea in ITALIAM missum curat designari & proclamari Imperatorem à Pontifice Paschali, quem cum elegisset populus Romanus Imperatore inscio, ad quem electio pertinebat, LVDOVICVS hoc grauiter tulit: sed placatus Pontificis deprecatione, tandem acquieuit. Oderant autem, vt dixi, Imperij proceres, præsertim Episcopi, LVDOVICVM, idcircò maximè,

quòd ex coniuge totus pendere, & de huius consilio pleraq; facere & administrare existimaretur: Propterea filios prætextu odiorum & clandestinarum molitionum nouercæ incitarunt, vt in patrem conspirarent, & de abrogando ei Imperio consilia caperent. Conspirationis initium fuit in Gallia apud Pipinum filium. Sed hæc prima incendia pater facilè restinxit, cum quidem filij nondum coijssent. Renouarunt ea autem non multò pòst, & viribus in Alsatia coniunctis patrem adegerunt eò, vt in ipsorum sese potestatem dederet, & nouercam dimitteret. Captum patrem & aliquandiu circumductum LVDOVICVS intrusit in Monasterium Sueßioni, anno Imperij LVDOVICI decimo nono: CAROLVM fratrem relegauit Brumram, quod fuit Monasterium in Lotharingia: Nouercam Dertonam in Italiam. Huius tam præclaræ erga patrem pietatis, vt multorum deinceps aliorum scelerum, autores fuerunt Episcopi. Sed pœnas dedit LVDOVICVS sæuitiæ & ignauiæ suæ, & vicißim impietatem erga patrem mox filij luerunt. Cùm detineretur à LOTHARIO pater, reliqui fratres mutatis animis miserti calamitatis paternæ, postularunt cum magna parte procerum Germaniæ, vt dimißum in Imperium restitueret: quod cum aut non vellet, aut metueret facere, fugiens in Galliam, bellum reparauit fratrum conatus impediturus. Sed destitutus ab omnibus supplex veniam à patre petiuit & impetrauit.

Ita

Ita rediit ad Imperium LVDOVICVS anno sequente, & cum filijs deprecantibus culpam ignouisset, coniugem ab exilio reuocauit, quæ tandem expugnato mariti animo perfecit, vt CAROLVM filium Regem Neustriæ, id est, Celticæ & Lugdunensis Galliæ declararet. Cumq; paulò pòst PIPINVS obijsset, relictis filijs PIPINO & CAROLO, & PIPINVS regnum Aquitaniæ affectaret, Auus eo in Germaniam relegato Aquitanos CAROLO iurare coëgit. Ex eo itinere cum LVDOVICVS deterius habere cœpisset, nouercam metuens LOTHARIVM Regem Italiæ, conciliandi eius studio perfecit apud fratrem, vt ex Italia euocato traderet coronam auream imperij & ensem, & commendaret ei simul curam CAROLI & nouercæ: Quod indignè ferens Ludouicus Boiorum Rex, denuò se in patrem armauit, cui pater occursurus cum morbo inualescente Moguntiæ substitisset, Ludouico ibidem reconciliatus, diem clausit extremum duodecimo Calend. Iulij, anno Christi octingentesimo quadragesimo: Anno Mundi, quatermillesimo, octingentesimo secundo: Imperij vicesimo septimo: Vitæ sexagesimo quarto: & sepultus est in vrbe Metensi prope Hildegardin matrem.

IMPERATOR LOTHARIVS.

EXtincto Ludouico Pio, inter filios ciuile bellum exarsit funestum admodum & cruentum,

quòd vires potentiæ Francicæ adeò attriuit, vt ex eo penè conciderint. Plus quàm centum millia hominum in primo conflictu cecidisse perhibentur. LOTHARIVS enim occupato Imperio iure successionis & nominationis, quòd à Patre successor esset designatus, reliquos fratres eò adigere voluit, vt LVDOVICVS Bauaria, CAROLVS Aquitania, beneficio ipsius & concessione contenti, à reliquo Imperio abstinerent, & ipsi tanquam Imperatori parerent. Fratres indignè ferentes, se à iusta hæreditate excludi, coniunctis armis bellum LOTHARIO inferunt & hunc ad Fontanedum vicum Antissiodorensem in Gallia Lugdunensi prælio victum profligant, exercitu eius penè ad internecionem cæso. Pugnatum est autem anno Christi octingentesimo quadragesimo primo, septimo Calend. Iulij.

LOTHARIVS ex fuga Aquisgranum delatus, bellum reparat: cui denuò fratres ad Argentoratum occurrunt decimo septimo Calend. Aprilis anno sequenti: Sed Lotharij exercitus memoria cladis superioris dilapsus, desertum eum fugere coëgit. Non quieuit tamen LOTHARIVS: sed reuocatis ex fuga ac recollectis copijs, castra locat ad Matisconem vrbem Burgundiæ. Eò accedentibus fratribus proceres imperij sese interponentes, rem eò deducunt constituta Tetrarchia, vt Ludouicus Germaniam, vnde & Germanici nomen adeptus est: CAROLVS Franciam: LOTHARIVS Italiam cum

cum Imperio, & Germania, quæ inter Rhenum & Mosellam flumina ad veteres Mediomatrices, Leucos & Treuiros pertinuerunt. PIPINVS PIPINI filius Aquitaniam teneret. Hæc transactio promulgata esse scribitur Veroduni, anno octingentesimo quadragesimo tertio. LOTHARIVS deinceps filium Ludouicum sibi in imperio adiunxit, & instructum exercitu misit in Italiam contra Saracenos. Quæ in hac partitione LVDOVICO attributa fuerunt, regnum Orientale: quæ CAROLO, Occidentale regnum dicta fuerunt: vt ab Imperio quod LOTHARIVS retinuit, discernerentur. Ea verò pars Germaniæ, quæ viriq; regno interiecta, vtrumq; ceu limes dirimeret, à Lotharij nomine tùm primùm Lotharingiæ cognomen acquisiuit.

Distractis ad hunc modum & occupatis ciuili bello fratribus, peregrinæ gentes his occasionibus vsæ, sese rursus ex omni parte commouerunt. In Saxonia seruile bellum excitatum est, quod Ludouicus magna celeritate compressit. Normanni classe littus Gallicum depopulati, & per Ligerim amnem intra Galliam inuecti, penetrarunt populabundi ad ipsam vsq; Parisiorum vrbem, quibus cum impar esset CAROLVS Rex, vt regno excederent, pecunia persuasit. Existimo autem Normannos vel partem esse Danorum Cimbricam Chersonesum incolentium, eam scilicet, quæ altius in Boream summota est:

est vel quos hodie Norwegos vocant, nomine à Suedis distincto, à sedibus altioribus & in Septentrionem longiùs porrectis: Hi primò Galliam tentarunt sub LVDOVICO primo, & postea bonam eius partem occuparunt.

Nec Bohemi, Sorabi & Marcomanni ab Ortu et Meridie sibi in his occasionibus defuerunt: contra quos bella continenter gessit LVDOVICVS Germanicus. Etiam inter ipsos fratres subinde recruduerunt dissidia: vt sit, cum semel in exulceratis animis, præsertim agnatorum, altius odia insederunt. LOTHARIVS bellum minitatus est CAROLO, quòd Giselberdus CAROLI Præfectus filiam eius clàm rapuisset: Sed, ne ad bellum res perueniret, LVDOVICI sapientia præstitum est. CAROLVS verò Pipini filios, Pipinum & CAROLVM, Aquitaniæ principatu deiectos, in Monasteria inclusit, hunc in Corbeiense, illum in Sueßionense, & è custodia elapsos postea retraxit. CAROLVM tandem LVDOVICVS Germanicus Episcopatui Moguntino præfecit.

Deniq; furiæ vltrices impietatis erga patrem persecutæ sunt LVDOVICI filios, & ad pœnas hos adegerunt: Sicut dicitur Orphei versu, qui cum commination e quarto præcepto annexa congruit: δεναὶ γὰρ κατὰ γαῖαν ἐρίννυες εἰσὶ τοκήων.

Talibus nepotum CAROLI dißidijs cum externæ gentes muitarentur ad Imperij aggreßionem

ac dilacerationem, paulatim auctæ viribus & animis, multum detrimenti rebus Christianis intulerunt: Neq; irruptionum & dilacerationum finis fuit vsq; ad gubernationem Saxonum, ex qua gente rursus excitauit Deus præstantes principes ad instaurationem Imperij penè euersi.

LOTHARIVS quòd intellexisset Romanos incitantibus Pontificibus, seu tædio præsentis Imperij, seu libertatis studio, propendere ad Imperatores Græcos, & consilia clandestina agitare de reddenda illis vrbe Roma cum Imperio, profectus est Romam anno octingentesimo quinquagesimo quarto, & supplicio sumto de autoribus huius consilij, mutauit magistratus, & pacta vetera de potestate Imperatoris in confirmando Pontifice Romano renouata, maiore seueritate astrinxit & sanciuit. Reuersus ex Italia, filijs tribus regna auita partitus est, Ludouico Imperatore declarato ac domino Italiæ: Carolo in Galliam Narbonensem, qui minimus natu erat, Lotharij in Lotharingiam collocato: Ipse tædio, vt existimo, vitæ præsentis, doloreq; de patrato in patrem facinore, & sensu iræ diuinæ ac præsentium pœnarum, consilio deniq; facinoris expiandi, Imperio sponte deposito, in Monasterium Brumiam apud Treuiros ingressus est, anno Christi octingentesimo quinquagesimo quinto, vbi anno sequente è viuis excessit, tertio Calend. Octobris.

CAROL

CAROLVS filius non diu post Patrem superstes fuit LOTHARIVS cum in vxorem duxisset Ditbergam sororem Hugoberti Albatis, quem Ducatui ad montem iuram & Coccias Alpes præfecerat, eamq; repudiasset amore Baldradæ concubinæ, sororis Guntheri Episcopi Colonienſis, ex consensu Episcoporum Colonienſis & Treuirensis: fratres Ditbergæ hoc indignè ferentes perfecerunt, vt à Pontifice propter repudium legitimæ coniugis Anathemate sit mulctatus: Cuius expiandi causa Romam profectus, post adeptam ab Anathemate absolutionem, & nauatam fratri operam in reprimendis Saracenis, in reditu Placentiæ peste extinctus est, septimo Idus Augusti, anno octingentesimo sexagesimo nono, amissa magna parte exercitus. Ex hac concubina Lothario nati sunt duo filij, Lotharius tertius, & Hugo Dux Lotharingiæ. Hoc Hugone nati, Hugo filius & Lotharius nepos, Italiæ regnum obtinuerunt, accersiti contra Berengarium. Ab eodem Hugone descendit stirps Comitum Lucelburgensium, qua produxit Imperatorem HENRICVM Septimum, & ex hoc natos, Bohemiæ Regem Iohannem, & huius filium CAROLVM Quartum Imperatorem, & ex CAROLO natos Vuenceslaum & Sigismundum Imperatores.

LVDOVICVS Germanicus cum Sorabis, Bohemis & Marcomannis longa bella gessit. Suscepit filios tres ex Hemma vxore Hispana: CAROLOMANNVM

LOMANNVM natu maximum, CAROLVM minimum, cognomento Crassum, LVDOVICVM medium, & filiam Ludgardam, quæ vitam cœlibem egit in Monasterio Virginum ad Chiminum lacum Noricorum. Post mortem LVDOVICI Secundi Imperatoris, cum CAROLVS Rex Francie Italiam inuaderet, ipse retracturus eum ex Italia, suscepit expeditionem in Franciam: inde reuersus vitam cum morte commutauit Francofurti ad Mœnum decimo quinto Calendas Septembris, Anno ætatis septuagesimo, Anno Christi octingentesimo septuagesimo sexto, & à LVDOVICO filio sepultus est Laureaci in agro Vangionum. CAROLOMANNVS filius recuperata, vt dicetur, Italia, Apoplexia correptus, cum Arnolphi filij curam LVDOVICO fratri commendasset, tandem extinctus est duodecimo Calendas Aprilis, Anno octingentesimo, octogesimo, Ottingæ. Ludouicus frater decessit, Anno octingentesimo octogesimo secundo, duodecimo Calend. Februarij, cum triduo antè decimo quinto Calend. Februarij, Cometa exarsisset: Sepultus est Laureaci prope patrem. Susceperat is filium ex Ludgarda coniuge, qui cecidit in prælio contra Hugonem naturalem filium LOTHARII suprà dictum eum scilicet, qui Lottharingiam grassationibus vastarat. Ad tertium LVDOVICI Germanici filium cognomento Crassum, post LVDOVICVM Balbum tandem peruenit imperium.

LVDO-

LIBER QVARTVS
LVDOVICVS SECVNDVS

POST LOTHARII mortem Italia penè nunquam fuit tranquilla ad OTTONEM primum vsq;. Nam & ijs certaminibus, quæ inter CAROLI posteros extiterunt, grauiter afflicta est: & ad Imperij fastigium, illis exclusis, postea vel extulerunt sese, vel euecti sunt Italorum opera dissimiles, imò eodem tempore interdum plures, qui continentibus sese mutuò bellis exercuerunt: denique quicquid vltra Latium versus Apuliam & Calabriam mare attingit, direptionibus perpetuis patuit Saracenorum, negligentibus scilicet defensionem illis, quibus vnum hoc curæ erat, vt sese confirmarent, oppressis æmulis aut exterminatis. Nec longa pax Germaniæ concessa est quam discordiæ agnatorum, et irruptiones vicinarum gentium non siuerunt quiescere.

LVDOVICVS filius natu maximus Lotharij, statim vt fuit à Patre ascitus in societatem Imperij, cum exercitu descendit in Italiam profligaturus Saracenos ex agro Beneuentano. Contra hos dimicauit fortiter ac feliciter, auxilio potissimùm fratris Lotharij: sed exercitu magna ex parte peste & alijs morbis absumto, defensionem Beneuenti commendauit Adalgisio Longobardo Salerni Principi, qui Imperatore absente Græcorum promissis illectus, desciuit ad Græcos cum omnibus Samnij, Campaniæ & Lucaniæ oppidis. Hanc perfidiam LVDOVICVS vitu-

vlturus, rediit in Italiam: cumq; recepisset oppida, quæ defecerant, Capuam verò quæ repugnabat, obsidione ad deditionem adegisset, ab Adalgisio tamen fraude circumuentus iurauit, se nec Beneuentum vnquam veterum, nec in ipsum obperfidiam animaduersurum: sed absolutus à iuramento autoritate Potificis Ioannis, Adalgisio fuga clapso in Corsicam insulam de socijs Adalgisij supplicium sumsit.

Rebus in Italia compositis, tandem Mediolani mortuus est anno Christi octingentesimo septuagesimo quarto, cum imperasset annos nouendecim. Excelluit eruditione liberali, pietate, comitate, & beneficentia, & ingenij dexteritate valuit ac celeritate consiliorum: Gessit & res magnas contra Sclauos. Coniunx eius fuit Luitgarda filia Etichonis Vuelphi qui filius fuit Vuelphi primi seu Comitis seu Ducis Sueuiæ in Altorf, cuius frater HENRICVS ab Imperatore impetrauit partem Bauariæ, vt suo loco dicetur: Ex hac filiam reliquit Hermingardin, quam CAROLVS CALVVS despondit Bosoni Principi, attributa ei prouincia cum titulo Regis: Sororem enim huius Bosonis Richilden ipse Carolus duxerat in vxorem. Ex hac Hermingarde Boso suscepit filium LVDOVICVM Regem Italiæ, quem Berengarius Veronæ excæcauit, de quo infrà.

CAROLVS CALVVS.

LVDOVICO Secundo ne simasculo hærede defuncto, CAROLVS CALVVS filius

Ludouici Pij ex altera vxore Iuditta, quamprimùm de Imperatoris obitu cognouisset, exercitu comparato transijt in Italiam, vt Imperium Germanis præreptum traheret ad Francos. Quare animaduersa, LVDOVICVS Germanicus filios duos, Carolomannum, & CAROLVM, qui postea cognominatus est Crassus, fratri obuiam misit, vt Italiæ aditu eum prohiberent, ipse inuasit Franciam: sed filios à CAROLO CALVO vel muneribus persuasos, vel potentia territos, rebus infectis redijsse scribunt. Progressus ergo CAROLVS CALVVS Romam renunciatus est Imperator, Octauo Calendas Ianuarij, Anno Christi octingentesimo septuagesimo quinto.

Metu fratris muniturus sese amicitijs & fœderibus, quorum præsidio firmiùs retineret Imperium Italiæ Bosoni affini suo desponsit Hermingardim filiam LVDOVICI Imperatoris, & Ducem Italiæ primùm, mox etiam Regem Prouinciæ creauit: Berengarium verò ac Guidonem Romanæ nobilitatis proceres, ex veterum Longobardorum stirpe, alterum Foro Iulienſium, alterum Spoletanorum Ducem fecit.

Quæ res, vt nunquam sunt felicia fœdera spe augendæ stabiliendæq; potentiæ, aut studio mouendi res non necessarias, contracta ad opprimendos alios: ita postea exitio fuit stirpi Carolinæ, totamq; euersam penè radicitùs extirpauit: Italiam seditionibus involuit,

uit, à Germania Franciaq; auulsam, de qua cum diu contendissent armis vtriq;, Francis exclusis, Germani recuperatam rursus pacarunt. Sed & imperio tandem & regno Francico stirps Carolina excidit: & quos ad defendendam contra agnatos Italiam autoritate potentiaq; Carolus armarat, hi interea sibi imperium Italiæ illo excluso acquisiuerunt.

Reuersus autem CAROLVS in Franciam comperta morte LVDOVICI Germanici, mox filijs eius de regno paterno bellum intulit, coacto ingenti exercitu, frustra LVDOVICO, qui ex tribus fratribus medius erat & periculo proximus, deprecante ne pergeret, & pacem petente. Callidè CAROLVS suspendens responsionem de pace, struebat insidias LVDOVICO, quibus incautum opprimeret: sed cum insidijs proditis LVDOVICVS periculum cognouisset, cum eo congressus ad Andernacum, prælio superatum fudit fugauitq;, & fugientem insecutus per Lotharingiam desertam à Francis, recuperauit amissa. Ita pœnas dedit CAROLVS & inuisæ auaritiæ atque ambitionis, & moti belli non necessarij. Dimicatum est autem inter eos octauo Idus Octobris, anno Christi Octingentesimo septuagesimo sexto. Interea Carolomannus cum fratre Carolo repetiuit Italiam armis, cui Imperator occursurus, ad Veronam oppressus, & in fugam coniectus, ægrè euasit. Ex ea fuga Mantuam delatus, profluuio ventris

tris extinctus est, non sine suspicione dati veneni à Sedechia Iudæo medico, quem familiarius dilexit: Anno Christi octingentesimo septuagesimo octauo: Anno mundi quatermillesimo, octingentesimo quadragesimo: Cùm tenuisset regnum Franciæ annos triginta sex, Imperium biennium. Cadauer amici exenteratum & aromatibus conditum cum ad sepulturam in Francium transferre decreuissent, putredinis virulentia coacti Vercellis sepeliuerunt: vnde post annos septem refossum, & in Franciam deportatum est. Fuit Princeps auarus, insolens & ambitiosus, iactabundus, δυσώνυμος, infelix.

Vxores habuit duas, Richilden sororem Bosonis, de qua dictum est: Alteram Hermindrudim, ex qua sustulit filios quatuor & vnam filiam: LVDOVICVM cognomento Balbum, cui Iohannes Papa post patrem contulit in Francia titulum Imperij: LOTHARIVM qui ante patrem decessit: CAROLVM Aquitaniæ & CAROLOMANNVM Prouinciæ Duces. Carolum præferocem iuuenem, Albinus athleta in lucta humi prostratũ ita afflixit, perfracto dorso, vt mox expirârit. Carolomannum sacris destinatum & iam initiatum, cum is vitæ religiosæ tædio, hac repudiata, sacrum ordinem bello ac direptionibus persequeretur, Pater aliquoties frustra obiurgatum, tandem oculis priuauit, & in vincula coniecit. Solum ergo LVDOVICVM habuit superstitem. Hic CAROLVS Caluus con-

contra Normannos conduxit operam Vuidechindi Saxonis, cuius origo existimatur pertinere ad illum Vuidechindum, quo cum CAROLVS MAGNVS bellum gessit. Præfecit eum in Gallia Lugdunensi Andibus seu Andegauensibus. Hoc Vuidechindo procreati censentur Reges Francici, qui annos amplius quingentos ad nostra tempora vsq; regnum Gallicum rexerunt. Nam filium huius Rupertum, Carolus Caluus fecit Ducem exercitus Francorum contra Normannos, qui & in prælio occubuit. Rupertifilius OTTO permissu Arnolphi Imperatoris procurauit regnum Franciæ, cum Carolus Simplex, ad gubernationem per ætatem nondum esset idoneus. Ex fratre OTTONIS Ruperto natus est Hugo Magnus Parisiorum Comes, cui ex sorore OTTONIS Magni natus est Hugo cognomento Capetus Rex Francorum, conditor regiæ stirpis, quæ nunc rerum potitur.

LVDOVICVS TERTIVS COgnomento Balbus.

CAROLO Caluo mortuo, & proceribus Romanis ad CAROLVM cognomento Crassum qui cum fratre CAROLOMANNO Italiam receperat, inclinantibus, Pontifice Iohanne refragante, qui magis fauebat Francis, Pontifex per seditionem captus est, sed amicorum opera liberatus, profugit in Franciam ad LVDOVICVM Re-

gem, à quo cum esset humaniter exceptus, vicissim eum Imperatoris titulo ibi remuneratus est: sed LVDOVICVS, cum esset valetudine imbecillior, vix biennium imperatoris titulo gauisus morbo perijt, cum adornaret expeditionem contra Bernhardum Marchionem Italiæ Idibus Aprilis, anno Christi octingentesimo octogesimo: anno Mundi quatermillesimo, octingentesimo quadragesimo secundo: relictis ex Anscarda nobili muliere, quam patre inscio duxerat, duobus filijs, LVDOVICO & CAROLOMANNO, & coniuge Adelheide grauida, quam pater illi desponderat. Hæc paulò pòst enixa, peperit CAROLVM cognomento Simplicem & Posthumum Regem Franciæ: Fratres Ludouicus et Carolomannus tutorio nomine regnum Franciæ administrarunt annos quinq; qui & Bosonem aspirantem ad regnum represserunt, & Normannos ad Ligerim fluuium magno prælio vicerunt: sed neuter diu superstes fuit, etsi de genere mortis scriptores dissentiunt.

CAROLVS IVNIOR COgnomento Crassus.

CAROLVS filius Ludouici Germanici, cum à Carolomanno Italiam, ab altero Ludouico Germaniæ regnum iure hæreditario accepisset, Saracenos in Italia grassantes & vrbi imminentes, inde feliciter abegit, totaq; Italia pepulit, quo tempore à Iohánne Pontifice Imperator renunciatus est. Tertium ergo hunc Imperatorem, intra annos quatuor, Occidentis imperium habuit: quæ tàm crebræ mutationes, præterquam quòd hostium vicinorum & Pontificum Romanorum audaciam & potentiam, vulgiq; licentiam confirmârunt, Imperium etiam ipsum ceu eneruatum grauiter afflixerunt, & commutatis animis, studijs & moribus vulgi, sicut fieri in mutationibus solet, perturbationes, ac distractiones pepererũt magnas. Non enim fiunt tales mutationes sine magnis calamitatibus publicis & priuatis, sicut verissimè dixit Xenophon: πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι. Nec minus incommodi est in gubernatorum crebra mutatione, quàm si formæ politiarum, legum & gubernationis innouentur, sicut vulgò dicitur: Nouus Rex, noua Lex: quod non tàm de scripta lege, quàm de Principum moribus intelligatur, qui sæpe efficacius mouent animos subditorum, quàm leges ipsæ, sicut Oseæ 4. dicitur: Qualis populus, talis Sacerdos: Et Claudianus inquit:

Non sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, vt vita regentum.

Prouerb. 28. inter pœnas peccatorum generis humani recensentur crebræ mutationes Principum, vt nulli diu regnent, vel vt multi discordes regnent, & alij alios pellant: Propter delicta terræ citò alij pòst alios fiunt Principes, & propter virum prudentem

tem et intelligentem durabilius est Imperium. Apud Pausaniam extat præclarum dictum in eandem sententiam: μάλιστα πῶς ἐπὶ παίσμασιν ἔθελε μεγάλοις προαφαιρεῖσθαι τὸν ἡγεμόνα ὁ δαίμων.

Cùm autem CAROLVS Crassus eiecisset ex Italia Saracenos, reuersus in Germaniam, Franciæ administrationem tutorio nomine suscepit, quòd Ludouicus Balbus CAROLVM Simplicem posthumum reliquisset.

Irrumpentibus autem Normannis in agrum Atrebatum, Morinorum & Menapiorum, Godefrido & Sigæfrido ducibus, CAROLVS oppressis opitulaturus, cum res parum succederet, facta cum hostibus pace, Sigefrido Giselam LOTHARII patruelis filiam despondit, adiuncta dotis loco Frisia. Sed ne tunc quidem cessantibus Normannis, verùm Rollone duce Neustriam antiquitus dictam inuadentibus, CAROLVS ita cum hostibus pepigit, vt fœdere facto & societate inita, tradiderit eis partem Neustriæ, quæ ab Epta flumine ad Britones terminatur, & Oceano Gallico clauditur, cuius regni caput est Rotomagum.

Ab his nouis colonis Normannia dici cœpit, quæ antea Neustria dicta fuit. Huic Rolloni initiato sacris Christianis vocatoq; Ruperto, CAROLVS Simplex tandem filiam in vxorem dedit, quod aliqui CAROLO Crassò tribuunt. Ab hoc Ruperto descendunt longa serie Duces Normanorum quorum Rich-

Richardus secundus Apuliam, Siciliam & Calabriam bello acquisiuit, exturbatis inde Græcorum reliquijs & Saracenis oppressis: CAROLVS Crassus tandem, quòd ob aduersos in bello casus, & iniquas cum hostibus pactiones, in odium veniisset & contemptum apud suos, morboq; fractus nec mente constaret, nec valeret corpore, Imperio cedere iussus est: In locum eius collocatus est Arnolphus filius CAROLOMANNI: à quo cum per Bernhardum filium naturalem vix impetrasset victum ad reliquum vitæ tempus, paucis post diebus in ignobili pago Sueuiæ vitam finijt, Idibus Ianuarij: Anno Christi octingentesimo octogesimo octauo. Anno Mundi quatermillesimo, octingentesimo quinquagesimo: cum imperasset annos septem, vel, vt alij scribunt, decem. Conditus est in Augæo maiore prope Constantiam humili monumento.

Vxorem habuit Richardin Regis Scotiæ filiam, quam ob conceptam falsò de adulterio suspicionem repudiauit. Talis fuit exitus CAROLI Crassi, Imperatoris alioquin neq; ignaui, neq; stolidi, sed ad extremum infelicis. Auitis enim regnis omnibus sine cæde potitum, & principio gubernationis successu rerum ac multis victorijs illustrem, subitò conuersa fortuna & odijs suorum obiecit, & de Imperij fastigio deiecit, spoliatumq; dignitatibus omnibus ac fortunis, in extrema paupertate, vitæ reliquum exigere coëgit.

Hoc moniti exemplo magni Principes cogitent esse Deum, qui & procurat res humanas, & Imperia sustentat: Nec retineri Imperia, aut felicem esse ac salutarem vllam gubernationem sine præsentia et ope diuina: Nec fiducia nostrarum virium aut potentiæ quidquam tentandum aut moliendum esse, sed cum inuocatione Dei, & expectatione auxilij diuini: quod vt peti expectariq; firma fide possit, causas etiam bellorum, consiliorum & actionum oportere esse pias, iustas, & honestas.

ARNOLPHVS IMPERATOR.

IN CAROLO Crasso coniunxit fortuna vtrumque, summam felicitatem, cum Monarcham eum effecit ac dominum regnorum auitorum omnium: & summam infelicitatem, cum vicissim è fastigio deturbatum, abiecit infra omnes infimos homines: vt videatur vires extremas in hoc vno experiri & ostendere, fataq; Carolinæ stirpis complere voluisse. Statim enim cum eo ab Imperio deposito, in locum eius suffectus esset ARNOLPHVS, quem diximus fuisse filium naturalem CAROLOMANNI ex Carentina nobili fœmina: regnum Franciæ in aliquot discessit partes, Italia in tumultus ac seditiones sese effudit. Cùm enim Franci CAROLO Simplici tutorem præfecissent OTTONEM filium RVPERTI Ducis Andium, nepotem Vuidechindi Saxonis, tandem Regem eum salu-

salutarunt. Mox alij etiam alia, quæ fuerunt regni Francici, in Aquitania, Narbonensi & Celtica, diripuerunt. In Italia Berengarius & Guido Spoletanorum Duces, quos paulò antè CAROLVS Caluus ad eam dignitatem & potentiam euexerat, de regno Italiæ inter se certârunt.

Arnolphus igitur initio gubernationis implicitus bello contra Sclauos Morauos, priusquam hos repressisset, nec Italiam adire, nec Franciam potuit. Domitis illis suscepturus bellum contra eos, qui seditionibus regnum Franciæ dilacerârant, Ottone deprecante à bello abstinuit, & consensit, vt OTTO regnum administraret nomine regio vsq; ad annos pubertatis CAROLI Simplicis: quæ res causam præbuit ijs conspirationibus, quibus postea prætextu iuris hæreditarij CAROLVS Simplex à Ruperto fratre Ottonis oppugnatus est, eò vsque, donec Ruperti posteritas regnum Carolinæ stirpi ademtum in se transtulit. Ottone enim mortuo, CAROLVS Simplex regni administrationem repetiuit, cui bellum intulit Rupertus Ottonis frater, auus Hugonis Capeti, partem regni Francici hæreditatis nomine propter fratrem sibi vendicans. In eo bello etsi victus est Rupertus: tamen Carolum tandem fraude circumuentum Heribertus, cuius sororem Rupertus habebat vxorem, in carcerem Peronæ inclusit. Filius CAROLI LVDOVICVS cum matre in Angli-

Angliam profugit: inde Ruperto interemto, cum reuocatus esset ad regnum, consuetudo obtinuit, vt vocaretur Transmarinus. Is cum viginti septem annos gubernasset regnum Franciæ, reliquit id filijs LOTHARIO & CAROLO. LOTHARIVS filium LVDOVICVM & nepotem eiusdem nominis reliquit: quo veneno sublato, vi & fauore militum regnum Franciæ traditum est Hugoni Capeto, filio Hugonis Comitis Parisiorum, nepoti Ruperti Ducis Andium, quem cum CAROLO Simplice dimicasse & victum esse iam dixi. CAROLVM verò LOTHARII fratrem scribunt obtinuisse ab OTTONE Secundo Imperatore Lotharingiam. Ita regnum Franciæ à stirpe Carolina peruenit ad alienos prorsus ac peregrinos, postquam id tenuissent posteri CAROLI annos ducentos triginta septem. Hoc tempus propemodum dimidium est de quingentorum annorum periodo, qua ferè regnorum limites & metas circumscriptas esse historiæ testantur. Est & hic LVDOVICVS vltimus, à CAROLO Caluo quintus Rex Franciæ ex CAROLI Magni stirpe. Constat verò ex historiarum annotatis, paternas aut dignitates aut felititates rarò vltra quintum eadem prosperitate perdurare: Sed incidere ferè mutationes vel aliquanto antè, vt sæpe filijs aut nepotibus accidit, vel tunc cum res redierunt ad abnepotes, qui vel euertunt, vel labefactant ea, quæ à parentibus propagata sunt.

Sed

Sed ad ARNOLPHVM redeo: qui viribus omnibus conuersis in Normannos depopulantes Lotharingiam, internecione penè eos deleuit, cæsis duobus Regibus: & Sclauorum inter se dissentientium defectione retractus, cumq; his ad ripas Mosæ congressus, victor rediit in Lotharingiam, cui filium naturalem Senebaldum præfecit. In Italia dissensionibus inter Berengarium & Guidonem crescentibus, euocatus à Berengario in auxilium, Longobardiam inuasit, & Verona deditione capta cum aliquot alijs vrbibus, expugnatoq; Bergomo, & vrbis Comite AMBROSIO, cui defensionem vrbis Guido commendârat, suspenso, Guidonem tota Longobardia exclusit, ac persecutus eum vlterius, Romæ prius compositis motibus, Formosoq; Pontifice confirmato, qui eum accersiuerat, declaratus est ab eo Imperator, anno postquam Imperij gubernationem suscepisset decimo.

Guidone fuga elapso, Imperator recuperatis quæ ille occupârat, rediturus in Germaniam, ex itinere reuocatus est Romam ab HONORIO Pontifice per seditionem Pontificatu excusso, quem cum vinculis exemtum restituisset, mouit in LAMBERTVM Guidonis filium, qui patre in exilio mortuo Regem Italiæ se appellârat, expugnatoq; Spoleto, copias arci Camerinæ admouit, in qua vxor Guidonis latuit. Mulier astuta, cum desperatam videret arcis defensionem, per vnum ex familiaribus Imperatoris

auro

auro corruptum, pharmacum ei propinauit: quo ille hausto, statim profundo sopitus somno, ad diem tertium vsq; stertiuisse scribitur. Tandem cum expergefacto Paralysis linguam ac partes inferiores resoluisset, videreturq; non diu superstes fore, in Germaniam reductus est, insequente eum à tergo & exercitum carpente Lamberto. Sed quòd veneni vehementia totum infecerat corpus putrefactione incurabili, φθειρίασις etiam accessit. Ita mortuus est erumpentibus toto corpore vermibus, tertio Calend. Decembris, vel vt nonnulli annotarunt, Sexto Calend. Decembris: Anno Christi nongentesimo: Anno Mundi quatermillesimo octingentesimo sexagesimo secundo: Regni duodecimo, Ottingæ in Bauaria: vnde cadauer Ratisbonam delatum est, vbi sepulcrum eius ostenditur in templo ad D. Emeranum.

De posteritate huius ARNOLPHI diuersas reperio autorum sententias. Plurimi scribunt vxores eum habuisse duas: primam Agneten filiam Regis Græcorum, quam duxerit, cum adhuc Carinthiæ ac Bauariæ Dux fuit: & post hanc Iuttam, quam alij Ludgardam appellant, filiam Vuelphi Ducis Bauariæ. Ex Agnete sustulisse eum prodiderunt duos filios, ARNOLPHVM cognomento Malum, & Vuernerum, Comites in Schiern: quorum ARNOLPHVS pater est Palatinorum ad Rhenum & Ducum Bauariæ. Ex Iutta verò LVDOVICVM Quartum Regem Romanorum in Imperio successorem,

rem, & Ludgardam filiam nuptam OTTONI Magno Duci Saxonum. Hac matre & ARNOLPHO patre volunt etiam aliqui natum esse CONRADVM Orientalis Franciæ Ducem, Comitem Lotharingiæ, quem ALBERTVS, Comes Bambergensis interfecit, vt fuerit Germanus frater LVDOVICI Imperatoris. Sed qui ex diplomatum & historiarum annotatis diligentiùs origenes & propagationes familiarum inuestigârunt, negant hunc CONRADVM ex Francorum sanguine ortum esse, etsi de origine eius nihil certi vel explorati affirmant. ARNOLTHVM Malum autem, cui non Vuernerum, sed Bertoldum fratrem addunt, tradunt non ARNOLPHO Imperatore patre, sed Leopoldo quodam eius præcipuo Duce ortum esse, qui in prælio LVDOVICI contra Hungaros interfectus est: sed hunc Leopoldum tamem fuisse sanguine iunctum LVDOVICO Quarto, ex eadem à CAROLO Magno origine, non explorato tamen agnitionis gradu, perhibent. Atquæ hæc de ARNOLPHO veriora esse iudico. Filios autem naturales habuit plures: Senebaldum ex Helmgarda concubina, cui attribuit Lotharingiam, quæ illo à Regulis Lotharingiæ obtruncato postea sæpe mutauit dominos. Nam & Franci interdum armis, interdum beneficio atque concessione Imperatorum eam obtinuerunt, & his amotis successerunt alij, donec multiplici partitione in plu-

in plures discerpta partes, plures est sortita dominos.

Habuit & Rapoldum filium, conditorem stirpis Andechsianæ in Bauaria, ex qua nati Comites, qui postea diu tenuerunt Ducatum Istriæ & Meraniæ cum Voitlandia. Genuit hæc familia aliquot præstantes viros, inter quos celebratur OTTO Bambergensis Cancellarius Henrici Sexti, qui Pomeranos ad fidem Christianam conuertit. Ex eadem familia natæ sunt sorores, Gertrudis regina Hungariæ mater sanctæ Elisabethæ, & sancta Heduigis nupta Henrico barbato Duci Sileſiæ. Cum defecisset autem in Ottone vltimo, qui Plassenburgi interfectus est Anno Christo millesimo ducentesimo quadragesimo Octauo, quæ huius fuerant in Voitlandia, partiti sunt inter se Episcopi Bambergensis & Vuirtzburgensis, & Burggrauius Noribergensis.

ARNOLPHI tempore, nouæ & maiores Hungarorum copiæ effusæ ex Scythia, superatis fluminibus Tanai & Borysthene, Thraciaq; peragratæ atq; expilatæ, coniunxerunt sese cæteris, qui in Pannonia à bello Hunnico superfuerant, et magnis agminibus progressi, intermissa bella redintegrarunt.

LVDOVICVS QVARTVS Imperator.

LVDOVICVS post patrem Arnolphum susceptum Forchamij Imperium, aliquandiu opera & consilio tutorum, Ottonis Ducis Saxoniæ & Hattonis Archiepiscopi Moguntini, administrauit. Cùm ergo per ætatem nondum esset ad res gerendas idoneus, intestina dissidia, quorum sese ceu germina, patre viuo, exeruerant, vbiq; magis magisq; creuerũt. In Italia Lamberto filio Guidonis in venatione occiso ab Hugone Mediolanensi, ALBERTVS Tuscus & ALBERTVS Eporedus, LVDOVICVM filium Bosonis Regis Prouinciæ, in Italiam accitum Regem salutarunt, quem Berengarius captum excæcauit. In Germania noua bella exarserunt, ALBERTO Comite Bambergense vnà cum fratribus ADELHARDO & HENRICO filijs HENRICI Comitis, bellum inferente Episcopo Vuirtzburgensi: defendente hunc contrà CONRADO Duce Franconiæ Orientalis: In qua expeditione cum ALBERTVS Bambergensis amissis duobus fratribus, horum cædem vlturus CONRADVM Francum fraude interceptum interfecisset, LVDOVICVS Imperator propterea eum in iudicium vocauit ad dicendum causam: & cùm non compareret, proscripto bellum indixit & intulit. Sed cum ALBERTVS persuasu Hattonis Episcopi Moguntini dedisset se in fidem Imperatoris, LVDOVICVS eum capitis condemnatum securi percussit, quinto Idus Decembris, Anno Christi nongentesimo quarto. Hic ALBERTVS Tarissæ sepultus est in agro Bambergensi. Posteritas eius, vt

supra dixi, postea adepta est Præfecturam limitis Orientalis, seu Machionatum Austriæ.

Fuerunt & in Lotharingia bella inter vicinos, quorum dux fuit CONRADVS Dux ad Mosellam ex veteri Francorum prosapia, cum filijs GEBHARDO & CONRADO.

Facto ergo Imperio tot bellis ciuilibus & nouis motibus turbato, hisq; Imperatore iuuene implicito, Hungari ex Thracia per Pannonias progressi limites Bauariæ vastare & depopulari cœperunt, Anno nongentesimo septimo: quibus LVDOVICVS Imperator occurrit quantis potuit copijs, & congressus cum illis continuo trium dierum prælio, à quinto Iduum Augusti, vsq; ad tertium Idus, tandemq; victus & fugatus perdidit præcipuam & florentissimam partem nobilitatis Germaniæ. Cecidit in prælio præter alios præstantes Principes, Ludouicus oriundus ex Caroli Magni prosapia, pater ARNOLPHI & Bertholdi, ad quos referunt originem Ducum Bauariæ & Palatinorum ad Rhenum.

Auentinus contra reliquorum historicorum annotata pugnatum esse scribit contra Hungaros, non ad Lycum amnem prope Augustam Vindelicorũ, sed ad Danubium in Bauaria prope oppidum Ansburg, quod verisimilius est: Et fuit error facilis propter cognationem appellationum Germanicarũ Ansburg & Augsburg. Hungari victores progressi, longè lateq; incendys, direptionibus cædibus omnia peruastarunt, donec pacem LVDOVICVS multo ab illis auro redemit, quæ res ei causa mortis fuit. Ex animi ægritudine enim in morbum delapsus diem suum obijt, duodecimo Calend. Februarij: Anno Christi nongentesimo vndecimo: Anno Mundi quatermillesimo, octingentesimo, septuagesimo tertio: Imperij duodecimo. Sepultus est Ratisbonæ in templo diui Emerani propè patrem.

Vxorem habuit Mathildam, quam alij Ludgardam vocant, filiam Ludolphi Ducis Saxoniæ, sororem Brunonis & Ottonis Magni: sed nullam ex ea susceptit sobolem.

Hunc LVDOVICVM aliqui vltimum faciunt Imperatorem in Germania ex CAROLI Magni posteris, & fuit à CAROLO sextus, secundum seriem maiorum: Suntq; ab initio Imperij CAROLI, vsq; ad mortem huius LVDOVICI anni centum vndecim. Reliquit moriens res valdè turbatas: nam & intestinis discordijs arserunt Italia & Germania, ad quas accessit noua contentio inter Principes de successione in Imperio & vicinæ gentes, quas vtcunq; coëgerat quiescere potentia Imperatorum Francicorum, velut allectæ his dissensionibus Principum: vndiquaque se infuderunt. In Italiam vlteriorem rursus irruerant Saraceni: Germaniam ex parte vna Sclaui, ex altera Hungari, Assiduis depopulationibus ac cædibus vexabant, et Hũgari quidem in Galliam vsq; penetrarunt: Nec fuit penè vllus

in Germania locus ab iniurijs & sæuitia Hungarorum immunis, donec consensu Principum ad Imperij fastigium, HENRICVS Auceps euectus est.

CONRADVS PRIMVS.

EXtincta stirpe CAROLI Magni in Germania, & rebus propter hostium irruptiones & intestina bella fluctuantibus, Moguntinus Episcopus & Otto Dux Saxoniæ, cumq; his proceres Francorum, Imperium detulerunt ad Conradum Ducem Franconiæ Orientalis: sed Arnolphus cognomento Malus, Dux Bauariæ, Giselbertus Lotharingiæ & Burghardus Sueuiæ Duces, illo recusato accersiuerunt ex Gallia CAROLVM Posthumum, cui & Lotharingia tunc sese subiecit, & paulò pòst OTTONE Saxone mortuo, cum ijsdem sese filius eius Henricus coniunxit contra CONRADVM. Hæc dissensio ne protinùs in bellum ciuile irrumperet, sola Hungarorum irruptione impeditum fuit, qui post LVDOVICI mortem aggressi ARNOLPHVM Bauariæ Ducem, sed fortiter repulsi, pace cum eo facta, conuerterunt sese ad Italiam, vbi Berengarius Rex metuens sæuitiam eorum & multitudinem, ne progrederentur prohibuit, non vi & armis, sed muneribus, magna pecunia pacem mercatus. Regressi ergo Hungari ab Italia, & denuò Germaniam adorti, primùm Saxoniam, Turingiam & Franciam, deinde Rheno transmisso, Lotharingiam & Alsatiam,

am, Basilea euersa, horribili grassatione percurrerunt, & CONRADVM ad pacem quibuscunq; conditionibus redimendam annua pensione adegerunt. Liberata hoc modo ab Hungaris Germania, cùm nihil remitterent de hostilibus molitionibus principes, qui se CONRADO opposuerant: Imperator anno Christi nongentesimo, decimo sexto, Synodo indicta ad duodecimum Calend. Octobris, & paulò pòst Nonis Octobris imperij conuentu habito, hostes suos proscripsit: moxq; ARNOLPHVM Bauaria pepulit, qui postea Imperatore mortuo sua recuperauit: Fratres duos Giselberti Ducis Lotharingiæ, Eringerum & Bertholdum, bello captos securi percussit.

Pacata tandem Germania, morbo correptus, tùm de vita desperasset, vero graui q; iudicio, odijs priuatis sepositis, quod præstantis naturæ argumentum fuit, anteponentis salutem publicam iniurijs priuatis, suasit, vt Imperium commendaretur HENRICO Aucupi, nepoti ARNOLPHI Imperatoris ex filia Ludgarda, cui & per fratrem EBERHARDVM insignia Imperij misit, adductus admiratione virtutis & sapientiæ HENRICI: quòd hunc vnum erigere afflictas penè collapsas res Imperij, & contra barbaras gentes patriam vindicare posse ex ijs consilijs & conatibus didicisset, quos, cum hostem eum habuisset, fuerat expertus.

Decessit autem anno Christi nongentesimo

decimo nono: Anno Mundi quatermilleſimo, octingenteſimo octogeſimo primo: Regni ſeptimo: decimo Calend. Ianuarij: & ſepultus eſt in Monaſterio Fuldenſi.

Retentus in Germania bellis inteſtinis, Italiam non adijt. De origine eius & familia, vt dixi, ſcriptores diſſentiunt. Nam aliqui patrem eius CONRADVM prodiderunt natum eſſe patre ARNOLPHO Imperatore, ex eadem qua LVDOVICVS Imperator, matre: Negant id alij. Vxorem habuit Placentiam, filiam LVDOVICI ſenioris Regis Germaniæ, ex qua nullam ſuſcepit prolem. A fratre huius CONRADI Eberhardo vtrum deſcendant Imperatores Francici, ad quos à Saxonibus rediit Imperij adminiſtratio, non planè conſtat. Sunt enim, qui eos à CONRADO Magni OTTONIS genero deriuant, quem in prælio contra Vngaros occubuiſſe infrà referemus ad Auguſtam: Hoc filium OTTONEM nepotem HENRICVM, quem Hermannum aliqui nominant, pronepotem CONRADVM Saliquum, natum tradunt. At de Conradi illius patre diſſentiunt, quem Eberhardum alij, Vuernerum rurſus alij nominant. Mihi hi videntur omnes ex eadem ſtirpe Conradi interfecti ab Alberto Bambergenſe prodiiſſe: cuius filium fuiſſe hunc primum Conradum Imperatorem teſtantur veriores hiſtoriæ, etſi ſeries familiæ non reperitur integrè deſcripta.

Ad

Ad hunc modum Imperium Occidentis primò diſcordijs ſucceſſorum conuulſum, paulatimq; velut neruis inciſis ac ſolutis compagibus inclinatum ad ruinam, poſtea exterarum gentium impetu ac violentia grauius impulſum, penè corruit, his per ruinas inuolantibus & rudera diripientibus, nemine prohibente, imò conſternatis omnibus ac trepidantibus.

Concidit & ipſa CAROLI poſteritas, redacta in nihilum, cui ſucceſſit noua Saxonum ſtirps, quæ ceu ex afflatu diuino receptis animis, dilapſa & aliquoties direptionibus expoliata, deuaſtataq; cædibus, rudera recollegit & inſtaurauit. Hæc conſiderantes cogitemus de perpetua Dei in Imperijs præſentia, dequè iuſticia eius & immenſa miſericordia ac bonitate. Punit Deus iuſto iudicio totas gentes & Principes ipſos, colliſionibus inter ſe regnorum, mutuis Principum cædibus & terrarum deuaſtationibus. Rurſus cum interitura regna videntur, producit aliquos præſtantes viros ordine, qui aut res labantes fulciant ac ſuſtentent, aut collapſas reſtituant, vt conſeruetur ſocietas humana Eccleſiæ cauſa: quales fuerunt qui ſecuti ſunt, HENRICVS Auceps, OTTO Primus, OTTO Tertius, & HENRICVS Sanctus, CONRADVS Saliquus.

Conſideremus & cauſus mutationum: Transfert Deus regna non tantum de gente in gentem, ſed & de ſtirpem ſtirpem, cùm propter peccata hominum & alias cauſas: tùm ne ſomniemus, regna poſteris

necessariò deberi lege & iure successionis, ideo quòd maiorũ virtute acquisita primùm, & ab ijsdem longa annorum serie possessa sint atq; administrata. Hæc opinio multos impulit ad bella non necessaria, in quibus perierunt sæpe totæ familiæ: Sicut & Reges Francici frustra cum Saxonibus de recuperatione Imperij contenderunt, & tandem amiserunt vtrumq;, & tota eorum posteritas deleta est.

DE REBVS ECCLESIÆ.

POtestas Ecclesiastica præcipuè consistit in duabus rebus, in ministerio doctrinæ & Sacramentorum, & gubernatione disciplinæ externæ. Ministerium doctrinæ & Sacramentorum diuina autoritate institutum, & Ecclesiæ commendatum est. Inquit enim Christus: Ite in orbem vniuersum, prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Item Iohan. 20. Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: & insflauit in eos dicens, Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Missus est autem Filius Dei, non ad constituendum imperium politicum, sed regnum spirituale & æternum, quod colligitur voce & ministerio Euangelij, non armis aut potentia politica, aut vlla vi corporali.

Pertinet autem ad ministerium doctrinæ non tantùm munus docendi in Ecclesia & administrandi Sacramenta, sed & cura cognitionis dijudicationisq; con-

controuersiarum, quæ incidunt, de dogmatibus Ecclesiæ proprijs, de Deo & de rebus æternis, de Lege Dei, de peccato & causis peccati, de Euangelio, de gratia, de iustitia coram Deo, de Sacramentis.

Sed alligata sunt iudicia Ecclesiæ ad normam verbi diuini. Credimus Ecclesiæ tanquam doctrici demonstranti veritatem ac certitudinem in dubijs sententijs ex fontibus Israël, id est, ex scriptis Prophetieis & Apostolicis, quæ non sunt Sphingis ænigmata, aut oraculorum Delphicorum inuolucra, sed perspicua, illustria, firma: Et nititur fides non testimonio Ecclesiæ, sed verbo Dei. Expressis autem interdictis adimitur ministris omnis potestas mutandi aliquid in dogmatibus diuinis, & ijs quæ autoritate diuina tradita sunt, cum dicitur: Nihil addatis, neq; dematis. Item: Qui aliud Euangelium annunciauerit vobis, anathema sit. Item: Frustra me colunt mandatis hominum.

Et obligantur omnes in Ecclesia, vt audiant vocem Euangelij, quæ per ministros traditur, quatenus sonant vocem doctrinæ patefactæ à Filio Dei: inquit enim Christus: Qui vos audit, me audit.

Gubernatio disciplinæ externæ scandala prohibet omnis generis doctrinæ & vitæ, animaduersione, inspectione & censura seueriore doctrinæ, vitæ & morum externorum: & constituit pertinentia ad εὐταξίαν, vt omnia ordinè, & decenter fiant: distinguit gradus & officia ministrorum, distribuit ho-

vas & materias lectionum, cantionum, exercitiorum, examinum, congressuum: ordinat & digerit cœtus docentium in certas classes. Præcipit enim Paulus, vt in Ecclesia omnia decenter & ordine fiant. Non vult esse confusiones, aut licentiam infinitam & ἀναρχίαν in Ecclesia, aut tyrannidem, quanquam ἀναρχία infinita est tyrannis: sicut inquit Paulus: Deus non est autor ἀκαταστασίας.

Constituit autem Ecclesia hæc, quæ ad gubernationem disciplinæ externam & εὐταξίαν pertinent, sua, id est, humana autoritate, non diuina: neq; alligata est Ecclesia ad vllas leges conditas ab hominibus, neq; ad vllam ordinariam successionem ministrorum, aut ad statum vllum quatumuis pulchrum: sed ad Euangelium Filij Dei, quod vt sonet in ministerio, Deus subinde excitat aliquos rectè docentes, etiamsi inter hos alij plus, alij minus lucis habent. Et dicta de audiendis pastoribus, non constituunt regnũ aut tyrannidem in Ecclesia, sed præcepta sunt & consolationes: Iubent vt vocem à Deo traditam audiamus, & affirmant Deum voce docentium certò efficacem esse, accendere mentes ac percellere corda nostra, perinde ac si palàm nos ipse alloqueretur.

Habet & iudicia sua potestas Ecclesiastica, quæ non vi corporali, sed verbo exercet: non tyrannicè & pro cuiusq; affectu, sed adhibita cognitione & legitima dijudicatione. Non enim armata est gladio, vt potestas politica: Sicut expressè Christus dicit, Mat-

Matthæi 10. Qui cernuntur imperia tenere, dominantur gentibus, & Principes eorum potestatem habent in eas: vos autem non sic.

Sed multum interest inter iudicia Ecclesiæ & iudicia politica: sicut multum differunt, quæ in Ecclesia humana autoritate condita sunt, ab ijs quæ expresso Dei verbo sunt promulgata & sancita.

Politica iudicia etsi etiam sonare debent Decalogum, tamen & de circumstantijs addere leges possunt, & ambigua interpretari: valetq; interpretatio propter autoritatem regiam seu Prætoriam, & vi corporali exequuntur sententiam, eademq; autoritatem suam tuentur.

Iudicia Ecclesiæ dissimilia sunt, Quædam enim sunt de ijs rebus, quæ immediatè sunt prohibitionis diuinæ, & quarum violatio sine vlla dubitatione est peccatum mortale, siue sint dogmata pugnantia cum Euangelio, siue delicta manifesta contra legem Dei: Quædam sunt de delictis contra leges, institutas boni ordinis causa, humana autoritate. Differt autem ab his iudicijs, quæ sunt iurisdictionis, ministerium verbi. Tantum enim sunt illa de manifestis & notorijs, non de occultis: cum ministerium verbi potestatem habeat remittendi peccata petentibus vniuersa, siue nota sint, siue ignota: & rursus annunciandi iram Dei & pœnas æternas omnibus perseuerantibus in erroribus contra fundamentum, aut delictis contra conscientiam.

Primus

Primus gradus iudiciorum prorsus est alligatus ad doctrinam Euangelij. Hanc enim vult Deus normam esse illorum & moderatricem, nec contra eam decerni aut sanciri, nec sine ea tanquam ex ea natum atq; profectum proponi quidquam, nec aliunde, nisi ex hac, dubiorum declarationes, obscurorum interpretationes, confusorum explicationes, aberrantium emendationes, peti vult. Hinc verò desumtæ interpretationes non valent propter iudicum autoritatem, sed quia congruunt cum verbo Dei & confessione veræ Ecclesiæ. Nam verbum Dei est iudex, quo cum consentiunt piorum confessiones. Conuicti his iudicijs de errore aliquo in fundamento, aut de criminibus publicis & manifestis, nisi mutent sententiam aut pœnitentiam agant, incidunt in pœnas Ecclesiæ proprias: quas illa non vi corporali infligit, sed verbo, scilicet segregatione vel exclusione à cœtu Ecclesiastico & sacrorum communione. Non enim fas est Ecclesiæ decretas & pronunciatas sententias vi corporali exequi.

Alia ratio est eorum, quæ disciplinæ & ordinis causa constituuntur in Ecclesia ab hominibus. Non enim diuina autoritate obligant, vt illa quæ immediatè præcipientur à Deo, neq; vt edicta Prætoria, de quibus expressè scriptum est: Obedite non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Disertè enim traditum est: Frustra colunt me mandatis hominum. Quare neglectio eorum aut violatio, si absit petu-

petulantia & ministerij contemtus, non est peccatum mortale. Vult enim intelligi Deus discrimen inter obedientiam debitam ministerio & doctrinæ, & inter obedientiã præstãdam traditionibus humanis: vt sciamus de Deo & de voluntate Dei nihil quæri aut fingi extra traditum verbum debere. Vt autem, si præstentur opera traditionum humanarum cum opinione iustitiæ, cultus aut necessitatis, horribile peccatum sunt: ita si omittantur quandoq; sine scandalo, vt dixi, & ministerij contemtu, non protinùs delinquens reus peragi debet æternæ condemnationis, aut ijs affici pœnis, quas Ecclesia indicit & irrogat: sicut qui in leges Magistratuum peccat, à Prætore punitur mulcta aut corpore. Discernit & vetus Ecclesia inter ἄιρεσιν & χίσμα. Controuersia Arij, hæresis: certamen de Pascha te, schisma fuit.

Sed vt iudicia de publicis & notorijs, ita & pœnas suas habet Ecclesia: quibus non corpora hominum lacerat aut vitam petit, sed excludit à societate externa contumaciter delinquentes contra ministerium, & perseuerantes in delictis contra conscientiam, vt in erroribus contra fundamentum & alijs peccatis manifestis ac notorijs, conscientijs horribili denunciatione iræ Dei æternæ & æternarum pœnarum territis, nisi resipiscant. Hæ pœnæ vocabantur ἐπιτίμια in vetere Ecclesia, nec recipiebantur in Ecclesiam, quibus propter lapsus ἐπιτίμια imposita erant, nisi editis veræ pœnitentiæ & emendationis

signis

signis impetrassent publicam absolutionem: ne hos, si ad alias se conferrent Ecclesias, admittere fas erat, nisi afferrent literas συσταλικὰς, seu testimonia περὶ λύσεως τῶν ἐπιτιμίων.

Erant autem gradus pœnarum tres: ἀνάθεμα vel ἀναθεματισμός, καθαίρεσις & ἀφορισμος. Ανάθεμα commune erat vtrisq; Clericis & Laicis, & hos electos ex Ecclesia, atq; ab omni societate tanquam aliena membra abscissos atq; exterminatos, non tantum à cõmunione sacrorum, sed ab omni consuetudine vitæ externæ arcebat. καθαίρεσις propriè ad Clericos pertinebat, qua illi deponebantur ab officio. Erant autem & καθαιρέσεως gradus. Aliquibus enim officio motis sola adimebatur tractatio & celebratio sacrorum, ita vt à communicatione Cœnæ Dominicæ, vel à publicis sacris non arcerentur: aliqui simul & excommunicabantur, & à reliquis publicis & communibus sacris remouebantur. Ἀφορισμὸς pertinebat ad vtrosq;, Clericos & Laicos, & reos abigebat à sacris publicis, quosdam ab omnibus, aliquos tantùm à Cœnæ communicatione, qui vocabantur ἀκοινώνητοι Seprati ferè in loco solitario seorsum consistere cogebantur: eratq; certi temporis pro ratione delictorum.

Hæc ita constanter seruauit prima Ecclesia post tempora Apostolorum: sicut piarum Synodorum decreta & Canones, historiæ, ac piorum Doctorum scripta

scripta testantur. Viguit in ea puritas doctrinæ, de cuius conseruatione certamina fuerunt maxima: quibus hoc perfectum est, vt doctrina magis illustrata, & testimonijs scriptorum Propheticorum atq; Apostolicorum certius confirmata sit. Fuit & disciplina Ecclesiastica optimo constituta ordine, distinctione officiorum, classium, temporum, lectionum, exercitiorum, inspectionum, examinum & aliorum vtilitatum rituum.

Sed cum primò turbassent Ecclesias nugacissimæ rixæ de tempore, quo esset celebrandũ Pascha, & inde vitæ distractiones præbuissent occasionem alijs certaminibus, quæ mouit Arius de filio Dei: tandem crescente licentia, & nouorum errorum seminibus subinde suppullulantibus, horribiliter Ecclesiæ conuulsæ & laceratæ sunt, donec Mahometicus furor & potentia magnam partem Ecclesiarum in Asia & Africa oppressit, Occidentem verò dilacerarunt Gotticæ, Vandalicæ, Francicæ, Hunnicæ, & Henetæ gentes.

Ex his Ecclesiarum Orientalium & Imperij in Occidente ruinis creuit potentia Romanorum Pontificum, quæ ambitione, auaritia, & tyrannicis consilijs aucta, tota à cura administrandæ Ecclesiæ & tuendæ puritatis doctrinæ, conuertit sese ad curam & studium constituendæ Monarchiæ in Ecclesia. Occupatis ergo Pontificibus & Episcopis certaminibus de primatu, & cura constituendæ Monarchiæ, atq; ijs cõparandis, quæ hãc instruere opibus, præsidijs bellicis,

neruis

neruis politicæ potentiæ, ac ſtabilire poſſent, paulatim doctrina negligi cæpit, & creuerunt ſuperſtitiones, vt ſemper fit, cum homines de rituum externorum vero vſu, in quos plus intuentur, quàm in doctrinam ipſam, non rectè docentur.

Superſtitione ergo inualeſcente, non negligi tantum, ſed & depraui doctrina cæpit: & inuecta ſunt paulatim noua dogmata, excogitatiq; ritus nomi κακοζηλίας Iſraëliticæ politiæ, in oculos pulchra ſpecie incurrentes, quos poſtea Pontifices horribili & furioſa audacia cumularunt, additis idolatricis profanationibus Sacramentorum. Retenta eſt veteris diſciplinæ ſola vmbra, quam ſuo inſtituto ita accommodarunt, vt fuerit hactenus Monarchiæ illius neruus. Tandem confirmata potentia & captis ac dementatis hominum animis ſuperſtitione multiplici, eò vſque audaciæ Pontifices progreſſi ſunt, vt & dogmata & cultus diuinis contrarios condiderint, & crudelitate noua ſtabilierint, & traditiones ſuas cum opinione cultus diuini ac neceſſitatis obſeruari voluerint.

Doctrinæ depraua tiones manifeſtæ ſunt in partibus de peccato, de lege Dei, de pœnitentia, de iuſtificatione hominis coram Deo, de bonis operibus, de gratia, de fide iuſtificante coram Deo, de Sacramentis, de Eccleſia, quæ ab expreſſis teſtimonijs tùm Prophetarum & Apoſtolorum, tùm primæ & purioris Eccleſiæ recedunt & diſcrepant. Nota ſunt commenta plusquam anilia de purgatorio, impoſturæ indulgentiarum, ſatisfactiones Canonicæ, quibus corruperunt conſuetudinem veterem τῶν ἐπιλυμιῶν. Manifeſti ſunt & cultus, qui contra mandata Dei ſunt efficti & inſtituti, vt inuocationes mortuorum hominum, adorationes ſtatuarum & imaginum, ἀρτολατρεία, id eſt, adoratio repoſiti & eleuati panis, Ethnicæ Pompæ proceſſionum & ſupplicationum quibus panis eſt circumgeſtatus, profanationes Cœnæ Dominicæ in Miſſis theatricis, quæ celebratæ ſunt pro viuis & mortuis: Item conſecrationes magicæ rerum naturalium, vt aquæ, vini, olei, ſalis & ſimiles.

Manifeſtæ ſunt & leges quæ præcipiunt onera, quæ ſine peccato ſuſtineri non poſſunt, vt leges de Cœlibatu. Aliæ verò traditiones, quarum ſuperſtitio & abuſus etiam à rudibus intelligitur, quantum habent admixtum errorum? vt traditiones de certis ciborum generibus, certæ formæ ieiuniorum, Battologiæ in precationibus, quas & condiderunt, & recipi obſeruariq; cum opinione cultus & neceſſitatis voluerunt, contra libertatem ſancitam in Euangelio, quæ mutari aut aboleri nulla humana autoritate poteſt.

Quid dicam de illa impudentia, qua ſuam extulerunt autoritatem Pontifices, cum ſe & caput Eccleſiæ, & dominos regnorum Mundi conſtituerunt, & Monarchiam fabricârunt Imperijs politicis ſimilem

lem, in qua aligârunt Ecclesiam ad Pontifices & Episcopos & horum collegia, id est, ad ordinariam successionem Pontificum, Episcoporum & collegiorum, hosq; autoritate diuina tenere ministerium, neq; errare posse, neq; horum aduersari decretis licere, contenderunt. Pro hoc statu, qui ex Idolatria, abusibus, superstitione, impijs decretis, sceleribus paricidiorum, rapinarum & libidinum conflatus est, pertinaciter pugnant, & hæc illis est religio.

Si quis historiam Ecclesiæ diligentius considerârit, inde vsq; à temporibus Christi & Apostolorum per annos mille quingentos: reperiet primis annis quingentis, etsi inciderunt ingentia certamina de Filio DEI, & alijs rebus, vicisse tamen veritatem, mendacijs discussis atq; elisis, & tradita esse posteritati vera, firma ac perspicua testimonia de doctrina Apostolorum publicè in Synodis, & in priuatis scriptis eorum, qui Apostolorum discipulos viderant & audierant: deniq; optimæ ac necessariæ disciplinæ seueras leges conditas ac descriptas esse, quibus stetit, floruit & viguit Ecclesia, etinm inter calamitates ingentes & horribiles persecutiones Ethnicorum & Arianorum.

Sequentibus annis quingentis ita colluctatum est cum veritate mendacium, cum fidei synceritate superstitio, cum Veris Dei cultibus Idolatria, vt mortuorum hominum inuocationes, imaginum & statuarum adorationes, ἀρτολατρεία, quanquam hæc tardius

dius aliquanto cœpit: cum rectitudine sententiarum Sophistica, cum seueritate disciplinæ & ordinè laxatio & confusio, cum humilitate ambitio, superbia, dominandiq; cupiditas: vt paulatim hæc inualuerint ac superârint, illa elanguerint & conciderint, deniq; ex gentium confusionibus, vt morum, ita dogmatum & religionum extiterunt confusiones admirabiles, et ex his emerserunt germina multiplicium abusuum, quæ sensim adolescendo radices egerunt & sese confirmarunt.

Reliquis annis quingentis maturuit & creuit regnauitq; in Ecclesia Idolatria, superstitio & ambitio, præsertim Pontificum & Episcoporum: Cessit cultus Dei verus, qui fieri debet in agnitione & fiducia Filij Iesu Christi: hic, inquam, sanctorum cultui cessit: disciplinæ seueritas in inanem vmbram vetustæ consuetudinis exoleuit, cuius, ne dissiparetur, neruus fuit instillata animis superstitio, qusm aluit & auxit agmen Monachorum. Doctrinam Euangelicæ contrariam, ex Platonis dogmatis & argutijs Aristotelis texuerunt Scholastici. Potestatem Ecclesiasticam Pontifices & Episcopi commutarunt in Monarchiam politicam, & omnibus sese Imperiorum negotijs admiscuerunt, adeò, vt potestatem sibi arrogârint tradendi regna Mundi, quibus vellent, autoritate diuina. Semper tamen fuerunt aliqui pij & docti, qui huic tyrannidi Pontificum contradixerunt, & abusus atq; errores taxârunt atq; improbârunt.

Hæc est causa, quòd, cum historia Ecclesiæ primorum annorum quingentorum extet descripta accuratè, posterioribus annis mille aut pauca reperiantur annotata, aut nulla. De confusionibus enim quid scribi potuit? Cùm ergo Synodis penè omnibus quas historiæ celebrant, his proximis annis quingentis, vsq; ad emendationem doctrinæ recens factam à Luthero, Philippo & alijs, fiant aut publica autoritate sanciantur decreta impia, vel contra doctrinam & cultus diuinos traditos in scriptis Propheticis & Apostolicis: vel de Pontificum, Episcoporum, & vniuersim satellitum sedis Romanæ ambitione, rapacitate, & Tyrannide contra Imperatores & Reges Christiani orbis: vel de ijs, quæ cœcitatem & obstinatiam inueteratæ superstitionis in vulgo confirment: omissis illis, de rebus gestis in vtroq; Imperio, Orientis & Occidentis, dicemus. Cumq; sese Pontifices & suas res miscuerint Monarchijs & regnis, non plus eorum meminisse volumus, quàm exegerit vel series historiarum in singulis Imperatoribus, vel mentio nouorum errorum atq; abusuum, quibus scilicet hi in Ecclesiam sint occasionibus introducti.

Cùm autem & profiteantur ac iactitent titulum Ecclesiæ Pontifices propter ordinariam successionem in sua politia Monarchiæ similem, & potestatem sibi iuris mandatiq; diuini prætextu arrogent infinitam, non in politias tantùm, sed ea etiam, quæ Dei & Ecclesiæ sunt propria, & hoc fulmine terruerint

ruerint ac terreant omnes ordines orbis Christiani, summos infimosq;: contra has falsas persuasiones & impostu ras sciamus non posse esse Ecclesiam apud illos, qui dogmata & cultus instituunt ac defendunt aduersantes expressis & euidentibus sacræ scripturæ testimonijs, etiamsi habent regnum in Ecclesia & ordinariam potestatem, ad externam speciem rituum superstitiosorum legibus pulchrè compositam: Non enim hoc regno Pontificum, sed fundamento Christi & Apostolorum nititur Ecclesia.

Deinde sciamus non deberi obedientiam vlli potestati præcipienti, vt impia doceamus aut faciamus. Constat enim talia esse doctrinas Dæmoniorum, nec obediendum eis esse, sed redeundum ad illas regulas: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Sunt autem multæ traditiones Pontificiæ palàm impiæ, sicut abusus Cœnæ Domini, Inuocatio mortuorum, Lex de cœlibatu, Magicæ consecrationes creaturarum: vt de erroribus in doctrina, quibus Monachorum & Scholasticorum libri referti sunt, taceam, quæ veteri Ecclesiæ fuerunt ignotissimæ, & recens irrepserunt, & Episcoporum potentiam amplificarunt, Monachorum opes auxerunt. Primum Decalogi mandatum inquit: Non habebis Deos alienos. Non igitur inuocandi sunt mortui, sed vnus verus omnipotens Deus, qui se patefecit dato Euangelio & misso FILIO DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO, & sic est inuocandus, sicut docuit,

docuit, fiducia Filij. Etiam traditiones de rebus adiaphoris fiunt impiæ & doctrinæ Dæmoniorum propter errores qui admiscentur: scilicet, quòd mereantur remissionem peccatorum, aut sint cultus Dei, quibus se Deus iudicet honore affici, aut sint necessarij, vt quòd Episcopi habeant potestatem instituendi tales cultus.

Nec propterea eleuatur autoritas ministerij Euangelici. In his enim, quæ iuris diuini sunt conscientia necessariò debet obedire pastoribus, iuxta illud: Qui vos spernit, me spernit. De ritibus adiaphoris, qui boni ordinis causa instituti sunt, præcipit Euangelium, ne sentiamus cultus aut necessarios esse: sed seruari concedit sine opinione iusticiæ ac necessitatis De pugnantibus cum mandatis diuinis, simpliciter. pronunciat vox diuina: Fugite Idola. Item. Oportet Deo plus obedire quàm hominibus. Item: Si quis aliud Euangelium annunciauerit vobis, anathema sit. Nec dictum, Qui vos audit, me audit, transferri potest ad opiniones aut leges pugnantes cum Euangelio, quod prorsus non constituit regnum politicum: Eoq; magis detestanda est impietas & impudentia Pontificiorum, quòd autoritatis & nominis diuini prætextu tituloq; Ecclesiæ, fingere sibi potestatem condendi decreta impia, contra tot manifesta scripturæ testimonia, non verentur. Sed de his satis sit dictum. Nunc ex historijs Græcorum Imperatorum, quorum plerique impuriſſima monstra fuerunt & por-

& portenta generis humani, paucula quædam subijciemus, vt series rerum gestarum sibi constet: & quidem præcipuè eam ob causam, vt res à nostris in Asia gestæ, & initia potentiæ Turcicæ, rectius intelligantur, quòd Græcis res fuerit cum vtrisq; nostris Argonautis, cum recuperarunt Palæstinam & Syriam, & Turcis.

IMPERATORES ORIENTIS.

IMperium Occidentis dilacerari cœptum est à diuersis gentibus, mox post CONSTANTINI Magni ætatem, à quo vsq; ad CAROLVM Magnum caruit Occidens certa & constante Monarchia, Romanis oppressis, Græcis exclusis, à gentibus diuersis, quæ conflictatæ sunt inter sese de sedibus & principatu in Italia, Germania, Gallia, Hispania, & Pannonia: alibi inuitatæ ruinis imperij, ex discordijs intestinis dehiscentis atque collabentis: alibi conductæ ad bellorum, quæ vel inter se, vel contra externos hostes gesserunt. societatem: alibi accersitæ ad coërcendam petulantiam Romanorum Præsidum, qui ruente Imperio prouincias licentius administrarunt.

Inter hos populos præcipui fuerunt Hunni, Sarmatæ, cumq; his Heneti, et ὁμόγλωττοι gentes Germanorum: Nõ enim lingua, sed idiomate tantũ ac dia-

lecto, discerno Gottos, Francos, Burgundos, Longobardos, Alanos, Sueuos, Anglos, sicut reipsa linguis non discreparunt. Hunni ex Italia Galliaq; repulsi intra Pannoniam sese continuerunt. Sarmatæ, Henetiq; totam versus Orientem Germaniam veterem, ad Albim vsq; subiugarunt: Germanicæ gentes cum his Romanis q; imprimis, & inter sese contenderunt, per annos quadringentos & amplius: donec Angli Saxones Britannia, Gotti Hispania: Franci & Burgundi Gallijs, Longobardi Italia potiti sunt, & Franci rursus tota Germania perdomita, vno regno comprehensis tribus potentissimis prouincijs Germania, Gallia & Italia, quæ antiqua imperij sedes fuit, Occidentis Imperium instaurarunt, vt dixi.

Has dum collisiones inter se gentium nouarum atq; conflictationes pertulit Occidens, interea etiam Orientis Imperium grauiter afflixerunt: peneq; discerptum destruxerunt diuersæ gentes in Asia & Europa. In Asia creuit subitò Saracenorum potentia, qui cum, Heraclio imperante, & à religione Christiana, & à Romano Imperio defecissent Mahomete autore, breui tempore tantis successibus vires auxerunt suas: vt non tantùm Palæstinam, Syriam, Arabiam, Mesopotamiam, & bonam Asiæ partem celerrimè occuparint, sed perantiquum etiam Persarum regnum & Romanis infestum ac formidabile, sublatis Regibus antiquissimi stemmatis, ceperint, & Africam littoralem omnem ad montem Atlantem vsq;

cum

cum multis maris mediterranei insulis complexi sint. Tantis aucti accessionibus, duo condiderunt præpotẽtia regna, vnum in Asia, alterum in Africa. Huius sedem constituerunt Alcairum Ægypti vrbem, quæ Memphis est: Illius Babylonem, quem Bagadat & Baldacum sua lingua vocitarunt, etsi Baldacum aliqui Susam esse volunt: vtriq; præfecerunt vnum Monarcham Caliphan nomine, qui populo domi foriscq; Dux esset exemplo Mosis & Iosuæ.

Collocant autem principium regni Mahometici aliqui in annum Christi sexcentesimum vicesimum tertium. Sed Saraceni annos Hegyræ, vt vocant alius ordiuntur, ab anno Christi quingentesimo nonagesimo primo: Inde enim annorum suorum seriem detexerunt.

Græcos Imperatores Saraceni, dum inter se consenserunt, magnis affecerunt detrimentis: ita vt potẽtia labefactata, deinceps illi nec retinendæ Italiæ, pellendisq; quæ inuolarant, peregrinis gentibus, neq; accendis ac reprimendis nouis hostibus, quos è Septentrione excibant occasiones acquirendæ prædæ & nouæ potentiæ, pares esse amplius possent. Sed cum dissensiones domesticæ horum etiam animos mutuis odijs incensos, ad arma in se mutuò capienda perpulissent, robore partim distracto partim mutuis cædibus comminuto, desperatio imbecilliores coëgit accersere peregrina auxilia. Ita adducti sunt Turci, qui

cum

cum militassent Sultano Persico contra Calipham Baldacensem seu Babylonicum, postea vtrisq; oppressis, sibi regnum constituerunt, à Perside intra Pontum & Armenios montes ad Hellespontum, & inde per totam anteriorem Asiam ad Syriam vsq; dilatatum. Sic concidit Saracenorum in Asia regnum, vt ferè omnis magna potentia, non alienis & externis, sed suis dissolutum atq; dissipatum viribus.

Turcos rursus attriuerunt primùm in Asia nostri Argonautæ, profecti ad recuperandam terram sanctam, & condendum regnum Hierosolymorum: deinceps eosdem prorsus regno Asiæ exuerunt Tartari, euocati ab Armenijs. Sed cum hos vicissim aliquantò pòst dissipassent atq; excussissent Turci, vt dicetur, redintegratis viribus restituerunt regnum, quod cætera tandem absumsit vniuersa, Persico excepto.

Interea in Europa, Henetæ & Sarmaticæ gentes, immensis copijs delatæ ad Istrum & Hellespontum à Septentrione, incursionibus perpetuis Thraciam, Mysiam, Epirum, omnemq; vexarunt Macedoniam. Primi inter hos Bulgaros sese nominârunt, vt opinor, à Vuolga fluuio Rossiæ, qui apud veteres est Rha fluuius, Rhapontici plantæ appellatione celebris, & ex paludibus Rossiæ profluens non procul ab eius gentis Metropoli Moscouia, hodie enim seu Moschos seu Rossos ea regio habet, deuoluitur in mare Caspium. Horum prima fit mentio in historia CONSTANTINI

TINI Pogonati, circa annum Christi sexcentesimum octogesimum. Adorti autem Mysiam inferiorem, Græcos Imperatores, irruptionibus ac depopulationibus crebris fractos fatigatosq;, adegerunt ad conditiones pacis, quas tulerunt, accipiendas.

Rossi Bulgaros secuti, tamen Rasciæ nomen dederunt in ea regione, quæ olim Triballorum sedes fuit & pars Mysiæ superioris. Horum meminerunt historiæ in Constantino Monomacho, penè eodem tempore quo Turcorum.

Pacinacas seu Bossinos vltra Tanaim fluuium habitasse ratiocinor. Ab his conditum est Bosneusium regnum in confinio Dalmatiæ & Croatiæ ad veteres Dardanos & Triballos. Mentio eorum fit aliquantò pòst in Iohanne Zimisce.

Seruios originem appellationemq; à Sorabis & Sarmatis trahere non dubito. Vsæ sunt autem & vtuntur adhuc hodie hæ gentes lingua Heneta, vocanturq; vno nomine Sclaui: & diu Græcos Imperatores exercuerunt, donec ex pacto & fœderibus Mysiam vtramq;, Thraciæ bonam partem, Macedoniam item & Epirum, obtinuerunt. Sed nunquam diu in officio manserunt, & fide: verùm quibus potuerunt occasionibus, iussa & autoritatem Græcorum detrectarunt, iugum amoliturі: suntq; inter sese colluctati vtriq; eò vsq;, donec vtriq; libertate & Imperio amisso, venerunt in potestatem Turcorum, quos ad defensionem Imperij contra Bulgaros Græci ex Asia accersiuerunt.

Ita

Ita Saraceni primùm & deleuerunt regnum Persicum, & inclinationem fecerunt Imperij Orientis in Asia, vt Henetæ gentes in Europa: Saracenos vicißim debilitarunt Turci: Hos Tartari compescuerunt: Tartaros rursus Turci, cum sese recollegissent, Asiæ Imperio & domicilio spoliatos profligârunt, vbi paulatim confirmati in Asia & Europa, cum sibi eos Græci contra Bulgaros & cæteros Sclauos adiunxissent, deuorârunt vtrosq; & consumtis his deleuerunt etiam Saracenorum in Ægypto regnum Sultanis sublatis, & Armeniorum in Asia, quod diu inter Persas & Turcos medium, natura loci magis quàm robore contra gentis vtriusq; vim sese defenderat.

Reliqua sunt adhuc in Turcorum confinio Tartarorum regna, per amplißimas & vastißimas Orientis ac Septentrionis solitudines dißersa: & Persicum, quod Turcis oppreßis pulsisq; eodem cum Tartaris tempore, potentißimus Parthorum Sultanus Gempsas in libertatem vindicauit atq; erexit, cuius posteritas adhuc rerum potitur, & cum Turcis continentia bella gerit.

Ab his gentibus Imperatores Græci circumuenti vndiq;, concluſiq;, & aßiduis incurſionibus exagitati, paulatim perdiderunt quidquid de veteri Imperio fuit reliquum, culpa potißimùm suorum scelerum ac latrociniorum, quibus in se mutuò grassati sunt, & ignauiæ ac libidinum, propter quæ contemtui fue-

runt, ludibrioq; & prædæ ac direptioni, vicinis hostibus.

Et habuit Imperium Orientis præstantes viros, vel mediocres saltem, perpaucos, post reparatum à CAROLO MAGNO *Imperium Occidentis: scelleratos, ignauos, flagitioſos, luxu perditos, parricidijs & inceſtu pollutos plurimos, inter quos si qui nauarunt aut præstiterunt boni aliquid, hoc laudem meretur, quòd maiorum exemplo nonnulli, quanquã perpauci, cultum idolatricum & inuocationem hominum mortuorum ad imagines et statuas tollere studuerunt. Virtus bellica emollita atq; eneruata voluptatibus perierat: veteres familiæ interierant, nouæ irrepserant: defecerant & nerui bellorum, partim prouinciarum direptionibus atq; auulsione decisi, partim exinaniti, non tàm apparatibus bellicis, quàm profusionibus inutilibus. Hostes verò etiam conspectus domesticorum bellorum, odiorumq; mutuorum ac lanienæ mutuæ, acuebant: & accedebat contemtus, quem pariebat socordia, imperitia rei militaris, sæpe frustrati conatus, Imperia muliebria apud Græcos.*

Est ergo tota sequens historia Græcorum verißima imago commination is, quæ extat apud Esaiam capite tertio, de excidio & interitu regni Iudaici, vbi inter cætera de Principibus dicitur: Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis: Prout enim Deus affligere vult gentem aliquam: ita tribu-

tribuit & accammodat ei Principes. Est & exemplum regularum, de quibus sæpe dicitur: Non habebit Deus insontem eum, qui vsurpauerit nomen Domini in vanum. Item: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Omnis anima, quæ fecerit abominationes has, euometur ex terra. Item: διὰ ὧν τις ἁμαρτάνει, διὰ τούτων καὶ κολάζεται. Item οἷς τὸ ἀνδρεῖον, τοῖς τέλος αὐτόνικον. Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis, etiam in hac vita. Nec causæ tantùm sunt, sed & signa indubitata propinqui interitus, crescentia in Imperijs populi & gubernatorum peccata, & quidem certiora multò, quàm vlla in natura rerum prodigia vel ostenta. Admiramur vestigia sapientiæ diuinæ & præsentiæ, expressa in rato statoq; ordine causarum Physicarum: cumq; præter consuetum naturæ ordinem & cursum aliquid euenit, expauescimus & cohorrescimus, concipientes omnia sinistra & tristium euentuum præsagia: Sed nec minor sapientia Dei Architecti lucet in ordine politico, & multò maior inest deformitas in enormibus hominum vitijs, quæ cum ingrauescunt, certius quàm errata naturæ, pœnas præsagiunt ac denunciant, & celerius attrahunt.

NICEPHORVS.

LEONE Quarto Copronymi filio mortuo, Irene coniunx Constantino filio adhuc impubere, regnum

regnum suum suo consilio & arbitrio administrauit, initio quidem satis feliciter & tranquillè: sed posteà discordiæ domesticæ & motus nouos & nouas distractiones pepereunt. Nam & mater filio insidias struxit, quòd quosdam ipsi addictos remouisset, quorum opera se clauum gubernationis retenturum in manibus atq; potestate sperârat: & cum perfecisset, vt capto oculi eruerentur, propter exemplum immanis in filium sæuitiæ, cœpit inuisa esse omnibus & publico flagrare odio. Erat verò & Constantinus petulans admodum: cumq; alia multa iniustè atque insolenter fecisset, tùm vero coniugem etiam præter causam repudiauit, ducta alia. Quòd ergo CONSTANTINO amoto imperium & crudelitatem matris Irenes odissent ac metuerent Græci, Nicephorus eadolo excussa, et in Lesbum relegata, Imperium rapuit.

Is cum CAROLO magno & de Imperio Occidentis, & de limitibus in Italia, ijsdem transegit conditionibus, quibus antea pepegerant Constantinus & Irene, vt ambo Augusti, alter Orientis, alter Occidentis, ambo fratres dicerentur: In Italia verò Neapoli & Sipunte distinguerentur limites vtriusq; Imperij, vt quatum à Neapoli & Sipunte versus Alpes sursum, id Francici: quantum deorsum protenderetur versus magnam Græciam & Siciliam, id Græci iuris esset atq; ditionis: Veneti verò, ceu medij, neutris addicti essent, sed amici vtrisq; retinerent αὐτονομίαν & pace belloq; neutrius censerentur.

Bello

Bello contra Persas infeliciter gesto, cum in Bulgaros moueret, emunctiurus argentum, quo pactam de pace Persis pecuniam dissolueret, acie victus & cæsus est, cum imperasset annos nouem. Cranio eius deargentato Bulgarus pro poculo vsus est in conuiuiis. Filium Stauracium, quem Imperij consortem fecerat, ob corporis deformitatem & ingenij stoliditatem, Byzantini repudiatum, coniecerunt in Monasterium, suffecto in locum eius genero Micaëlo Curopalate, ne prorsus Imperio posteritas excideret.

MICAEL CVROPALATES Cognomento Rangabes.

MICAEL *Nicephori gener à Byzantinis constitutus in Imperio, soceri exemplo renouauit fœdera cum Francis. Socors fuit, timidus & infelix. Contra Bulgaros profectus, cùm exercitu fuga dilapso rem infeliciter gessisset, & intelligeret insidias sibi parari propter Imperium à* LEONE *Armenio, quem successus contra Saracenos animatum in spem regni erexerant, desperatione Imperio sponte cessit, seq; in Monasterium abdidit in Insula Prota.*

LEO ARMENIVS.

DEsertum à Micaële Imperium cum LEO *Armenius inuasisset et consecutus esset, Theophylactum Micaëli filium, quem pater Imperatorem appellarat, mutilatum ea parte, qua vir erat, vnà cum matre*

matre in exilium egit. Fuit vir acer & industrius, sed crudelis & malus. Ante Imperium Saracenos, in Imperio Bulgaros magnis cladibus affecit. A coniuratis in suo cubiculo obtruncatus est, cum imperasset annos septem, menses quinq.

MICAEL BALBVS AMORRÆVS.

MICAEL *Balbus obscuris ortus parentibus in oppido Phrygiæ superioris, quod vocatum scribunt Amorium, post cædem Leonis Armenij ad Imperium peruenit. Dimicauit de Imperio cum Thema quodam, qui mutato nomine se Constantinum apellârat regnumq; affectârat, euentu vario: Sed tandem cum Bulgarorum opera, quibus cum triginta annorum induciis pepegerat, captum brachijsq; & pedibus truncatum, interemit. Saracenos à Creta & Sicilia depulsurus classe, duobus magnis prælijs victus est. Periit profluuio ventris, quod dysenteriam vocant, ad quod accessêt phrenitis, cum imperasset annos octo, Menses nouem. Hoc Imperatore Dalmatia, excusso iugo Imperij Græci, sese in libertatem asseruit. Vnde regnorum Dalmatiæ, Bosnensium Croatiæq; origo est, quæ aliquandiu his proximis annis Reges Pannoniæ tenuerunt.*

THEOPHILVS BALBI FILIVS.

THEOPHILVS hic Balbi filius in gubernatione iustus & seuerus, in vita priuata honestus et castus fuit. Cultum imaginum tanquam Idolatricum vehementer est abominatus, vsurpariq; in templis vetuit. Vibem muniuit & ornauit magnificè, instauratis mœnibus, quæ collapsa erant, & altius eductis. Cum Calipha Babylonico certauit munerum magnificentia per legatos. Contra Saracenos in Asiam profectus quinquies, ductoribus THEOPHILO & Manuele, bis victor redijt, ter succubuit.

In postrema expeditione, cum Amerumnes Saracenus cepisset Amorium patriam MICAELI & præcipuas inde familias abduxisset in seruitutem: Imperator verò captiuos, quos vi & armis liberare frustra tentârat, pecunia redempturus, vt dimitterentur, impetrare non posset, vehementer perturbatus animo, quòd inter captiuos multi essent consanguinei ipsius, præ doloris magnitudine à cibo omni abstinuit, solaq; frigida potione contentus, cum hæc læsisset viscera, dysenteria corruptus interijt, cum imperasset annos duodecim, menses tres: relicto filio impubere MICAELO, quem cum Imperatorem designasset ante mortem, constitutis tutoribus, qui Imperij res interea procurarent, ipsum & matrem Theodoram Senatui Byzantino commendauit.

MICA-

MICAEL THEOPHILI FILIVS.

THEOPHILO mortuo, cum filius MICAEL per ætatem nondum esset Idoneus ad gubernationem, mater Theodora interea imperium administrauit. Hæc restituit & imagines in templis, & earum cultum Idolatricum, reuocatis ab exilio Episcopis, quos THEOPHILVS, quòd pertinaciter Idola tuerentur, pepulerat. Cum Bulgaris pacem fecit redita Regi sorore, quam bello Græci ceperant. Hæc cum esset in Christiana religione rectè instituta, persuasit fratri, vt pro Ethnica Christianam amplecteretur. Hac occasione Bulgari peruenerunt ad agnitionem Christi.

Filius Micaël cum adoleuisset, matrem omni potestate priuatam relegauit in Monasterium. Fuit malus, stolidus, petulans, ebriosus, deditus voluptatibus, ludis ac certaminibus equestribus & curulibus. Relictam in ærario à matre pecuniam omnem in luxum, crapulas, ludos, Mimos, adulatores, & alios id generis homines effudit, & eò redactus est inopiæ, vt vestes etiam regias vendiderit. Bis profectum contra Saracenos, & in fugam versum, peneq; cæsum ad vrbem Samosatam, tertio vltus est Petronas auunculus eius, deletis magno prælio Saracenis & Rege eorum Amero interfecto, filio Regis capto.

Mortuo Petrona, cum Rex suarum voluptatum studio negligeret Imperij defensionem, Saraceni, qui

Cretam occupârant, Cyclaadas insulas inuaserunt: cæteri in Syria reparatis viribus, denuò Græcos prouocârunt: quibus cum occurrisset, re infecta domum reuersus, Basilium Macedonem, cuius opera in domandis & exercendis ad cursum & aurigationem equis vsus fuerat, Cæsarem creauit, tradita ei in vxorem concubina Eudocia. Ab hoc Basilio postea interfectus est, cum vino madidus Basiliam remigem, purpureis ei calceis purpureis, eadem dignitate ornasset. Imperauit annos tredecim cum matre Theodora, solus annos vndecim. Hoc Imperatore Rossi classe ad pontum Euxinum comparata, primùm in limites Græci Imperij irruerunt: sedres non successit.

Est autem & appellatio Rossorum, & gens lingua & moribus eadem cum Roxolanis veteribus & recentioribus, seu Moschis, seu Rossis: Rossos enim hodie nominamus Moschos, seu à Metropoli Moschouia, seu à vetusta gente Mossinœcorum, quorum meminit Apollonius in carmine Argonautico. Antiqua enim eorum sedes fuit in Asia ad Moschicos montes, quorum meminerunt Ptolemæus & Apollonius: Inde progressi ad Tanaim fluuium consederunt. A Rossis, vt dixi, reliqua est appellatio Rasciorum. Nam inita cum Græcis pace, partem regionis obtinuerunt, quam olim possederunt Triballi. Sclauorum appellatio in historijs antiquior est: Nam meminit eius in IVSTINIANO Procopius: sed tempore

pore MAVRICII Imperatoris & sequentium magis celebratur, cum quidem hæc gens Græcos diu multumq; exagitasset.

BASILIVS MACEDO.

BASILIVS Macedo, obscuro & ignobili genere ortus, & venalis inter captiuos & Constantinopolim adductus, commendatione Medici in noticiam Micaëli venit, apud quem tantum creuit gratia & beneuolentia, vt tandem cubicularij dignitatem consecutus, & Micaëlo interfecto Imperio sit potitus. Pecunias publicas, quas alter in largitiones exhauserat, hic repetiuit, publicato edicto, vt qui pecunias accepisset à Micaëlo absq; causa iusta, is eas restitueret.

Saracenis Cretensibus classe bellum intulit, sed superatus vox fuga se seruauit: moxq; instaurata classe, denuò eos aggressus, alieno ductu vicit. Hoc bello confecto, mouit in Saracenos Syriacos, contra quos cum primò feliciter rem gessisset, postea cum oppugnationes vrbium parùm prosperè succederent, relictis in Syria Ducibus & præsidijs, sese Constantinopolim recepit. Tenebant autem tunc Imperatores Græci ex pacto ac transactione in Italia Apuliam adhuc, & vicinos tractus, quos Saraceni Carthaginenses vastabant. Eos per Nicephorum Phocam inde expulit, Ragusio etiam recuperato, quod illi occupârant. Venetis & LVDOVICO Secundo

Imperatore Occidentis rem Christianam iuuantibus, fregit in mari potentiam Saracenorum, & multos ex Iudæis ad fidem Christianam conuertit.

Pace facta cum Rossis, persuasit eis, vt discederent ab Ethnicismo ad religionem Christianam. Tandem, cum imperasset annos viginti, in venatione lethaliter sauciatus à ceruo, qui cornibus violento insultu in imum ventrem adactis, equo eum excussit, paulò pòst ex eo vulnere mortuus est, relictis ex Eudocia vxore tribus filijs, LEONE, ALEXANDRO & STEPHANO: Nam quartum CONSTANTINVM aliquantò antè amiserat: & filiabus totidem, quas omnes sacris initiatas Monasterijs inclusit.

LEO PHILOSOPHVS.

LEo filius Basilij à studijs Philosophicis, quæ coluit & amplexus est, cognomentum adeptus est. Princeps fuit in Repub. moderanda diligens, & in vrbe custodienda tuendoq; semetipso contra insidias solicitus & solers: quod quidem & res exegit, cùm & vrbs vndequaq; à vicinis barbaris hostilibus ex propinquo circumsideretur, qui imperio inhiabant, et ipse multiplicibus insidijs peteretur. Anno Imperij decimo quinto, in festo Pentecostes sub publicis sacris, ictu baculi grauiter læsus ex insidijs, cum mentis alienatione sanguinem vomuit, adeò, vt pro semimortuo sit à templo elatus.

Bulga-

Bulgaros violata pace deficientes, suis & socijs Turcorum armis repressit, etsi semel ab eorum Rege simulatæ pacis conditionibus delusus, & ex improuiso circumuentus, magnam cladem accepit. Fitq; prima Turcorum mentio in historia huius Leonis: sed ijdem & Turci & Vgri nominantur, atq; ad Istrum collocantur: quæ gentes alibi discernuntur: & differre eas constat origine, lingua & moribus, etsi fortasse in Asia contiguas sedes habuerunt. Sed de Turcis paulò pòst plura. Occupato Leone ædificandis templis (plurima enim condidit, vel religione vel superstitione) Saraceni Siciliam deuastârunt, & Lemnum occupârunt, indeq; vicinas Cycladas perpetuis & improuisis depopulationibus vexarunt, quibus cum classe Niceta ductore conflixit, sed pugna ancipiti. Vxores habuit quatuor, ex quarum postrema filium suscepit Constantinum, quem mpriturus cum Imperio fratri Alexandro commendauit. Extinctus est morbo Cœliaco, cum imperasset annos viginti quatuor, menses tres:

ALEXANDER,

ALexander Basilij Macedonis filius, frater Leonis fuit, cuius mandato Imperij administrationem suscepit, sed studijs & moribus fratri dissimilimus fuit. Totus enim prouolutus ac demersus in helluationes & libidines, curam Imperij commisit adulatoribus, præstigiatoribus & flagi-

tiorum socijs: cumq; non nisi à balneo prandium sumeret, aliquantò immoderatè impletus, cùm conscenderet equum, corpore vehementius extenso, venam interius rupit, è qua largissimo sanguine suprà infraq; effuso, animam simul euomuit, porci instar iugulatus sua ingluuie, cum imperasset annum vnum, & mensem vnum, quo vticinium fratris LEONIS compleuit.

CONSTANTINVS LEONIS FILIVS.

ALEXANDER morituru tutelam CONSTANTINI qui LEONIS fratris filius & puer septennis erat, cum Imperio, matri & nobilibus quibusdam commendauit, constituto Duce copiarum terrestrium Phoca, classi verò præposito Romano Lacapæno Armenio, viro ignobili & obscuro. Sed malè res Græcorum administratæ sunt, effœminatorum, mulierum, & puerorum consilijs. Nam & appetitum est, & tentatum Imperium à plurimis, & magnis cladibus affectum.

Mox à morte ALEXANDRI ad illud aspirauit CONSTANTINVS Ducas Andronici filius, quæ familia id tandem consecuta est, sed citò oppressus est. Bulgari quaternis expeditionibus vrbem Constantinopolin bis obsederunt: Adrianopolin bis ceperunt & diripuerunt, sed non retinuerunt: In vltima expeditione peruastata Thracia, penetrarunt in Macedoniam vsq.

Præ-

Præfectus classis Romanus, cum matre CONSTANTINI à gubernatione remota in Monasterium, Constantino filiam suam despondisset, hoc etiam excluso, se & filios Imperatores constituit, tenuitq; Imperium annos viginti sex: Sed tandem à filijs captus, & in exilium actus est. Filios rursus Constantinus comprehensos, tonsosq; in ordinem redegit, & solus Imperio potitus, id prudenter administrauit: Recepit in Italia Beneuentum, Longobardis ereptũ: Contra Saracenos infelix fuit: Turcos depopulantes Imperij limites assiduis incursionibus cum armis cohercere non posset, muneribus placatos eò perduxit, vt aliqui ex Ducibus cum magna multitudine ad Christianam religionem sese conuerterent: Correptus ingentibus totius corporis doloribus ex hausto infecti poculi, quod filius Romanus ei cum coniuge adornârat: his aliquantulum sedatis, secessit in montem Olympum ad Theodorum Cyzicum, virum pietate illustrem ac celebrem, precum causa, cùm imperasset cum patre Leone, Alexandro patruo, & matre, annos tredecim: cum Romano Lacapæno socero annos viginti sex: solus quindecim: Ibi cum totum sese Deo cultuiq; diuino addixisset, & consecrasset, reliquum vitæ precibus & lectionibus ac studijs sacris consumsit, Imperij cura deposita: Nec metu insidiarum ad Imperium est reuersus.

ROMANVS IVNIOR.

ROMANVS Iunior cum patrem veneno submouisset, imperium eo viuo possedit: Vir malus, ignauus, luxuriosus, crudelis, impius in matrem & sororem. Duce Nicephoro Phocâ contra Saracenos in Creta feliciter rem gessit. Eundem inde reuocatum opposuit cum exercitu grassantibus in Syria Saracenis, qui recens Chalepum receperant, oppidum à Saracenis ruderibus vel Hierapoleos vel Epiphaniæ instauratum. Hic Saracenis victis, vrbem recuperauit. Imperator tandem libidinibus & crapulis extenuatus & confectus, vitam finijt anno Imperij decimo tertio. Vxores duas habuit, primam Bertam filiam Hugonis Regis Italiæ: quæ mortua patre viuo duxit Theophaniam, ex qua suscepit filios duos Basilium cognomento Porphyrogenitum & Constantinum: Filiam vnam Theodoram, quæ nupsit Iohanni Zimiscæ, qui ante filios imperauit.

DE TVRCORVM ORIGINE.

PLinius & Pomponius Mela Turcos collocant inter Scythicas gentes ad latus Septentrionale Caucasi montis, qui velut in ramos brachiatus, continuis montium iugis & interruptarum vallium angustijs, complectitur Iberiam, Albaniam, Colchidem, & Chalybes: extensus versus pontum Euxinum & Mæoti-

Mæotiden paludem ad Occidentem, versus mare Caspium ad Orientem: estq; feracissimus metallorum omnis generis ad hunc vsq; diem: vbi verò ceu dehiscens populis sese aperit, portarum nomina ab adapertis ac ceu diductis expansisq; vallium hiatibus sortitus est, quæ alibi Armeniæ, alibi Sarmaticæ, alibi Caspiæ vocantur; scilicet quòd per eas maris Caspij accolas ad Armenios, Assyrios, & Hyrcanos, proximo itinere ducunt, Alexandrum has obstruxisse historiæ tradunt, obditis ad fores trabibus ferratis, vt arcerent transitus ferarum gentium Septentrionis. Ibidem Herodotus Ὕρκας ponit, quæ appellatio à Turcorum nomine non est aliena: etsi sunt, qui à Teucris Turcos deducunt.

Quæcunq; verò sit seu origo vocis, seu cum vetustis appellationibus cognatio: hoc constat, per Caucasi angustias Turcos irrupuisse ex Septentrione in Asiam, Sed de tempore non inter omnes conuenit. Aliqui Turcos Carmaniam inuasisse & obtinuisse prodiderunt, tùm cùm Parthi excusso Macedonum dominatu, Persiam retraxerunt ad sese. Nam pòst Alexandri mortem, Macedonibus inter se dimicantibus, etsi posteri Seleuci Babylonem aliquandiu retinuerunt: vlterioribus tamen non ita multò pòst potiti sunt Parthi Duce Arsace: à quo, qui secuti sunt Reges longo ordine vsq; ad annum quartũ Alexandri Mameæ, qui fuit annus Christi ducentesimus vicesimus octauus, à morte Alexandri quingẽtesimus quinquage-

quagesimus, Arsacidæ sunt nominati: Eo enim anno Artaxerxes quidam Persa, trucidato Artabano Parthorum Rege, qui Arsacidarum vltimus fuit, Persiam à Parthorum dominio liberatam sui iuris fecit.

Huius Artaxerxis posteritas gubernauit regnum Persicum vsq; ad Heraclium Imperatorem, & initium Saracenicæ potentiæ, id est, ad annum Christi sexcentesimum, tricesimum secundum, per annos continuos trecentos viginti nouem, cumq; Imperatoribus Græcis continenter bella gessit. A penultimo Syrocho Heraclius recepit ex pacto quæ Imperio Constantinopolitano maiores illius ademerat. Successorem Orimasdam Saraceni prælio victum interfecerunt, cum potiti Syria, Cilicia, Cappadocia, Mesopotamia, & in mari Cypro insula, improuisa irruptione regnum Persicum obruerunt. In eo regno abolitis legibus & institutis prioribus, nouam prorsus politiæ formam condiderunt. Sedem regni constituerunt Babylonem: Eam tribuerunt summo Principi Caliphæ, penes quem summa & religionis & Imperij potestas fuit: Caliphæ addiderunt Scriphen, qui illo extincto proximè succesit. Prouincias distribuerunt inter Præfectos, quos nominarunt Sultanos, sicut veteres Persici reges prouincias per Satrapas administrarunt. Significat autem vox Calipha dominum generalem: Scriphes Principem, cuius est certa definitaq; potestas: Sultanus præfectum.

Sultanorum fuit magnus numerus, qui prouincias ex

as ex destinatis sedibus rexerunt, vt Damasci, Antichiæ, Iconij in Lycaonia, Bæsarea in Cappadocia, Edessæ quæ hodie est Orpha in Mesopotauia, Sebastæ quæ hodie Suias dicitur, Tigranocertæ, quæ Sultania dicta fuit. Soli Armenij, Iberi & Alani, quorum regnum vno nomine Cumaniam vocant fortiter depulsis Saracenis primo impetu, postea semper sese contra vim horũtutati sunt, & religionis Christianæ possessionem, inter tot hostiles concursiones & tã crebras mutationes, constanter retinuerunt.

Sunt ergo, qui sub hoc tempus irruptionis Saracenicæ im Persiam, Turcos ab Orimasda è Septentrione in auxilium excitos esse scribunt: alij è Carmania euocatos prodiderunt. Vndecunq; verò prodierint, dubium non est, contra Saracenos eos Persis subsidio venisse, cumq; Rege Orimasda cæso regnum iam in potestatem Saracenorum deuenisse comperissent, captos amœnitate & fertilitate ad mare Hyrcanum in terra Chorasenorum, quæ antiquitùs Sogdiana fuit vel Hyrcania, consedisse: tandemq; cum Calipha Babylonio initis conditionibus pacis ita transegisse, vt terram, in qua consederant, possiderent & colerent, vicissimq; accepta religione Mahometica Caliphæ parerent.

His conditionibus cum Turcæ acquieuissent, rem pecuariam in loco vbere & pertili exercuerunt, sine peculiaribus principibus, sub imperio Babylonico. Fuit autem Imperium Asiæ & Persiæ penes Saracenos

annos

annos centum nonaginta octo: quo tempore hi nihil admodum detrimenti vel ab externis hostibus, vel ab intestinis dissidijs passi sunt: sed graues ipsi Imperatoribus Constantinopolitanis clades intulerunt, quàm diu solus Calipha rerum potitus, Sultanos in officio & metu continuit: Quam tranquillitatem cum exortæ ex dominandi cupiditate & æmulatione inter Sultanos & Calipham dissensiones turbassent, secuta est inclinatio potentiæ, & ruina. Cùm enim dimicassent Sultani inter sese, & cum ipso Calipha, tandem Persidis, Sogdianæ & Mediæ Sultanus, Mahomet nomine, viribus Caliphæ impar, armauit Turcos, quorum opera cùm vicisset, quòd pacta stipendia soluere recusaret, mox ab illis hac iniuria irritatis, rursus victus & regno eiectus est.

Ab eo tempore, quòd potentia Saracenorum intestinis bellis esset attrita, Turcæ paulatim progredi, prædariq́, & bello continenter incumbere cœperunt: donec ditati spolijs, deq́ successu prospero bellorum, aucti plurimis regionibus ad pontum Euxinum, in Armenia minore & maiore, Cappadocia, Galatia, & Bithynia, peculiare regnum inchoarunt. Quanquàm autem Calipham Babylonium non sustulerunt, tamen spoliatum regno Asiæ & Persidis eò adegerunt, vt eum, quem sibi delegerant Principem, sit coactus creare Imperatorem Asiæ, quod factum est anno Christi milleſimo quinquagesimo primo: Eo enim cœperunt in Asia Turci dominari, Saracenis partim

partim bellis intestinis. partim ab Imperatore Diogene Græco, attenuatis & languefactis.

Turcos rursus, annis centum nonaginta duobus pòst, Tartari attracti ab Armenijs, deturbatos principatu et in seruitutem redactos, sibi parere coëgerunt. Etsi enim sparsim quædam retinuerunt in Cappadocia, Galatia & Bithynia: Principe tamen caruerunt, & nihil admodum gesserunt, donec Tartarorum Imperio paulatim labefactato, circa annum Christi milleſimum trecenteſimum, rursus sese erexerunt & roborarunt. Tunc enim vocati ab Imperatoribus Constantinopolitanis, & traducti in Europam ad tumultuantes Bulgaros compescendos, captiq́ fertilitate & amœnitate Thraciæ, bello confecto, id dederunt operam, ne domum reuerterentur, sed ad terram vberem suo Principi aditus pararent.

In Asia verò pòst annum Christi milleſimum trecenteſimum quinquageſimum, Sultanus Parthorum Gempsas, Tartaris excussis, Persidem recepit. Ita denuò ad Parthos regnum Persiæ rediit, quos penè solos Romanam semper potentiam contemsisse legimus, & tunc quidem, cùm penè totum terrarum orbem perdomuissent. A Gempsa descenderunt Reges Persarum vsq; ad Malaonchrem, quo fraude peremto, Magnus Vsumcassanus vnus ex Satrapis Persicis, sed originis Turcicæ, regnum inuasit. Huius Vsumcassani filium Iacuppum, Ismaël Sophus oriundus ex prosapia Gempsæ, bello superatum interfecit & regnum

auitum

ditum reduxit ad veros hæredes, cum hoc Ismaële dimicauitus Selim Turcicus Imperator, in Calderanis campis ad Coim vrbem Armeniæ, quæ est Artaxata: cum filio Tamaso & nepote, qui nunc regnum tenet, bella continenter gessit Solimannus.

PRIMI IMPERATORES TVRCICI.

REcensentur autem primi Turcorum Principes vsq; ad irruptionem Tartarorum in Asiam hoc ordine.

Primum ZADOCVM nominant, qui incredibili successu, breui tempore, maiorem Asiæ partem, intra Taurum montem & pontum Euxinum, bello subegit, & Turcici regni fundamenta iecit. Hunc Caliphа Babyloniæ Imperatorem Asiæ creauit.

Secundus DOGRISSA, filius prioris, plurimaConstantinopolitanus Imperatoribus in minore Asia ademit, & per quendam ex agnatis, Artotum nomine, expugnata Edessa, quæ est in historia Thobiæ Rages obtinuit Mesopotamiam. Artotus Sultani nomen & autoritatem vsurpauit.

DOGRISSAM secutus est, filius ASPASALEM, hic nepotem habuit Solimannum, qui magnas res gessit in Asia. Accessit enim ad Hellespontum vsq; & Niceam vi expugnatã arcem belli fecit contra Græcos, seq; Sultanum Turciæ nominauit. Cum hoc Solimanno dimicarunt nostri Argonautæ in aditu

aditu Asiæ, qui Duce Godefrido Bilioneo recuperarunt terram sanctam, complexi regno Hierosolymorum, Mesopotamiam, Syriam ac Ciliciam.

MELECLAS quartus Turcorum dominus, ante aduentum Godefridi, per Solimannum & Artotum Sultanos, Antiochiam cepit. Reliquit filios duos, quorum natu maximus Belchiarocus patri successit: sedem regni habuit in Perside, & Turcis Antiochiæ à Godefrido obsessis subsidio misit exercitum ex Perside Duce Carbagato, quem Godefridus fudit ac dissipauit. Hoc Belchiaroco mortuo, frater Imperium occupaturus, conspiratione Sultanorum oppressus & interfectus est. Sultanis ergo de Imperatore dissentientibus, & vnoquoq; prouincias, quas administrabat, sibi asserente regnum Turcicum distractum est: qua occasione vsi & vicini Armenij, Iberi, atq; Alani & nostri Argonautæ, Turcos regno Asiæ expulerunt: quorum pars maxima ad Aladinum Suldanum Turciæ, qui Solimanno successerat: aliqui ad alios regni Assyriæ Sultanos sese contulerunt: Hos tandem quomodo Tartari oppresserint, posica dicetur.

Habuerunt autem Turciæ & Turchomaniæ nomen prouinciæ octo, sitæ inter pontum Euxinum & Armeniam versus Hellespontum & maria Ægæũ, Icarium ac Myrtoum: scilicet, Aëolis, Phrygia, Bithynia, Pontus, Galatia, Isauria, Cappadocia, Paphlagonia. Nunc reuertor ad Imperatores Occidentis.

LIBER QVARTVS IMPERATORES OCCIDENTIS EX STIRPE Vuidechindi Saxonis.

HENRICVS AVCEPS.

CAROLI Magi sapientia, virtus & felicitas diuinitùs excitata, instructa & gubernata, Imperium Occidentis post dilacerationes multiplices & longas oppressiones restituit, bello coactis in vnam Monarchiam Italia, Gallia & Germania, quam ad eum firmauit & communiuit modum, euerso regno Longobardorum in Italia, & facta cum Græcis pace: In Germania deleto regno Boiorum: Saxonibus verò non tàm bello victis, quàm humanitate allectis Imperioq; subditis: Sclauis repressis: Hunnis penè ad internecionem cæsis: Saracenis tota Gallia depulsis, & in Hispania procul vltra Iberum reiectis: vt & robore ac mole sua, rerumq; gestarum recenti memoria fuerit exteris hostibus terribile, & coniunctarum gentium consensu atq; concordia, studioq; erga Imperatorem, & præcipuè ipsius Imperatoris pietate, virtute, sapientia, ac successibus, eminuerit præ cæteris regnis vrbis terrarum ac floruerit.

Sublato illo, cum à virtute aui nepotes degenerarent, & accederet æmulatio regnandi cupiditate accensa, quæ in dissidia domestica, & mox in bella intestina exarsit, secuta est & procerum Imperij diiunctio, distractioq; voluntatum, alijs ad alios sese inflectentibus: & cum certatim Principes ipsi alij alios ad se traherent, vi muniendi causa, propter Imperij spem & cæterorum metum. irrepsit paulatim in animos contemtus horum, qui tandem ad res nouas moliendas multos impulit, præsertim cum non deessent occasiones turbandi ex dissidijs domesticis.

Ita factum est, vt primo Monarchis ipsis inter se odia exercentibus ac bello decertantibus postea contagia dissidiorum ac bellorum ciuilium priuatos etiam corriperent, quibus conuulsa & eneruata Imperij maiestas penè concidit, Gallia prorsus auulsa, Italia dubio atque incerto statu fluctante, Germania ægrè sese sustimente.

In Gallia posteritas OTTONIS Magni, qui origine Saxo fuit, Carolinam progeniem & vi & fraude oppugnauit, donec ea excisa penitùs, Hugo Capetus, Hugonis Comitis Parisiorum filius ad regnum sese extulit, consensu & suffragijs militum potissimum ac procerum electus. In Italia cum Berengarius Forciuliensium, & Guido Spoletanorum Duces à Carolo Caluo constituti, conspirassent contra Galliam, repulsi inde inter se dimicarunt: donec Guidone mortuo, & Lamperto filio eius interemto, Berengarius solus rerum potitus est, qui LVDOVICVM Bosonis filium, nepotem LVDOVICI Tertij Imperatoris, Regem Italiæ cepit & excæcauit. Berengario interfecto cum intestini motus ingraescerent, & Itali de industria bella alerent, accitis

subinde alijs atq; alijs Regibus: RODOLPHVS Burgundiæ Rex Italiam armata manu adijt: cui cum se opponeret Berengarius secundus, nepos prioris ex Gisela filia, quam dederat in vxorem ALBERTO Marchioni Eporregij, prostigatus ab eo fugit ad Hũgaros: Sed mox Itali pertæsi gubernationis Rodolphi, accersiuerunt Hugonem Comitem Arelatensem, filium LOTHARII Regis, qui occupatam Italiam tradidit filio Lothario. Hunc Lotharium Berengarius reuersus interemit, & perfecit, vt ipse Romæ à Pontifice in Imperatorem, filius Albertus in Regem Romanorum crearetur, hic tenuit Italiam, vsq; ad OTTONEM Magnum.

In Germania cùm aliæ, tùm exortæ propter Conradum dissensiones, & concepta erga eum odia, adeò non deflagrarant, vt ad suc cessorem quasi hæreditario iure sint deuoluta: Et nihil non mouerunt Reges Gallici, vt ἀξίωμα Monarchiæ orbis terrarum, cum stirps Carolina defecisset, à Germanis retraherent ad se, vt qui vellent hæredes esse.

Nec turbatas ad hunc modum, ac fluctuantes vbique res Imperij neglexerunt hostes externi. Hungari reuersi Germaniam & Italiam crudeliter deuastârunt: Inferiora Italiæ (vbi est Apulia & Calabria) Saraceni ex diuersis locis Syriæ & Africæ appulsi, cum bello subiugassent, grauiter exagitarunt: Nec Germaniæ limitibus ad Albim pepercerunt Sclaui.

Tota

Tota autem hæc series rerum & vicissitudo in stirpe Carolina, diuulsio disiectioq; instaurati Imperij, & dignitatis translatio ad alienos, est illustre exemplum iudicij Dei transferentis Imperia propter peccata Principum & populi, & testimonium iræ diuinæ aduersus iniustas molitiones, ambitionem, superbiam, dominandi cupiditatem, violationem pietatis erga parentes, atq; inprimis aduersus superstitiones & Idolatriam. Creuit enim his Imperatoribus maximè superstitio, nouorum & superstitiosorum rituum traditionibus aucta & cumulata. Contra leges & instituta Ecclesiæ veteris stabiliti sunt cultus sanctorum & amplificati: Destinati his sunt & consecrati dies festi, extructa templa & locupletata atq; instructa immensis opibus, in dictæ ac celebratæ πανηγύρεις in quibus ad templa sanctorum prorsus Ethnico more concursum est.

Sparsa sunt etiam tunc semina, & fundamenta iacta mutationis & profanationis Cœnæ Dominicæ & ἀστολατρείας Pontificiæ, quæ pro Christo coluit Deum Maozim prorsus ritu & furore Ethnico, qui cultus est Idolum vastans, de quo vaticinatus est Daniel Propheta.

Vsus preciosarum vestium in distributione Cœnæ Dominicæ primùm introductus est CAROLI Magni liberalitate. Priuatarum Missarum studium & consuetudo cœpit sub LVDOVICO Pio eius filio, quando constitutũ est in Synodo Agathẽsi, vt

quouis anno Laici ter tantum ad sacram Synaxin admitterentur. Hanc consuetudinem postea ad vnũ tempus restrinxit Clementis Tertij constitutio, qui & ritus in celebratione Missæ obseruandos descripsit, cum paulò antè Alexander Tertius Pontifex, vsum panis azymi instituisset, circa tempora Friderici Barbarossæ, & Laicis alteram partem Sacramenti ademisset. Creuitq; audacia & improbitas Pontificum eò vsque, vt tandem totam Cœnam Domini profanârint, atque in Idoli cultum conuerterint, vero vsu abolito. Circumgestationi enim consecrati panis, peculiare festum dedicauit tandem Vrbanus Quartus instinctu Thomæ Aquinatis, paulò ante Imperium Rodolphi Habspurgensis. Sunt & Canones conditi ad vsum Missæ, ijsq; diuersi. Primus à Gratiano, quem postea, nouis & tetrioribus blasphemijs auxerunt Gregorius Nonus circa annũ Christi millesimũ, ducentesimum vicesimum septimum, & post eum Bonifacius octauus circa annum millesimum, trecentesimum triceſimum. Huius profanationis Cœnæ Dominicæ & Idolatriæ pœnas dedit, & datura est hæc pars orbis Christiani: sicut Arij blasphemias adhuc luit Oriens discerptus Saracenicis, Turcicis, & Tartaricis armis, & ex clarissima luce doctrinæ, atq; ex optima & sanctissima Ecclesiæ disciplina, præcipitatus in tetros furores Mahometicos & vitiorum Ethnicorum turpem ac flagitiosam licentiam.

Tot

Tot modis ergo laceratum Imperium Occidentis & tot cædibus ac grassationibus funestum & miserabile, conradus morituru tradidit HENRICO Aucupo, adductus admiratione virtutis & sapientiæ qua HENRICVS excelluit: quòd hunc solum colapsis rebus opem ferre & Imperium erigere ac fulcire posse confideret.

HENRICVS Ergo cognomento Auceps cum accepisset Imperium ab Eberhardo Conradi fratre, anno Christi nongentesimo decimo nono, mox in idimcubuit, & motus sedaret in testinos, ac Germaniam pacaret. Quare cum Arnolphus Bauariæ Dux recuperata Bauaria HENRICO Aucupi propter Imperium aduersaretur, Imperator ei obuiam profectus cum exercitu, colloquio quàm armis dirimere controuersiam maluit, euocatoq; ad sese, publica fide persuasit, vt depositis armis sponte cederet Imperio, & amicitia iuncta, nuptijsq; confirmata, filiam Gerbirgam ARNOLPHI filio, Iuditam ARNOLPHI filiam suo filio HENRICO despondit.

Germania hoc modo pacata vires in Sclauos conuertit. Fuerunt autem in his terris vicini Sarmatæ & Heneti, vt olim in Asia, & postea in Europæ aditu intra Tanaim et sinum Venedicum, vbi Sarmatiæ duæ collocantur, Asiatica & Europea. Supra enim dixi partem harum gentium ad Meridiem conuersam Græciæ magnam partem compleuisse: quarum adhuc tanta est potentia, vt his constet robur exercitus

Turcici & lingua Heneta in aula Turcica vsum linguæ patriæ penè obscurârit.

Pars altera ad Occidentem maximam partem veteris Germaniæ, vbi Vandalorum, Marcomannorum, Quadorum, Ligiorum, Elysiorum, Boiorum, Sueuorum, & Hermundurorum sedes fuerunt, partitis agminibus, & Ducibus ac nominibus mutatis, occupauit, Nam qui in terra Vandalorum veterum, & parte aliqua Marcomannorum ac Quadorum consederunt, Polonos sese vel à camporum planitie, vel à Duce LECHO nominarunt. Qui vallem montibus Sudetis conclusam subegerunt Boijs pulsis, consuetudine obtinente Boiorum cognomen conseruarunt: cũq; patria lingua Zechi vocentur, Boiemi dici maluerunt: Qui ad Ortum inter Boiemos & Polonos montana incoluerunt, Morauí nominati sunt, vel depraua ta Marcomannorum appellatione, vel à flumine Moraua. Silesiorum appellatio, quæ inhæsit ijs, qui post Morauos obtinuerunt loca ad Viadrum inter Boiemos & Polonos, eadem est cum nomine Sclauorum, voce exprimente significatum Germanici vocabuli, Quadi, quod veterum colonorum fuit nomen.

Soraborum antiquissimum nomen à Sarmatis retinuerunt ij, qui in Hermunduris intra Sudetos montes & Albim ad Salam vsq; habitarunt. Vuindorum seu Venetorum seu Henetorum appellatio tributa est illis, qui ad sinum Venedicum & mare Balthicum atq;

atq; ad ostia Albis vsq; incoluerunt, quorum distinctæ fuerunt familiæ locis & appellationibus, vt Vagrij, Polabi, Obotriti, Pomerani: Cassubij, Circipani. Qui inter Henetos & Sorabos medij ad Sueuum amnem incoluerunt, Lusatij nominati sant ab Elysijs veteribus.

Cum his postremis, quod ad extremos limites, Saxones vicinos & Turingos perpetuis depræda tionibus carperent atq; infestarent, vtriq; genti, Francicæ & Saxonicæ, longa bella fuerunt: donec paulatim domiti, & commertiorum atq; aliorum officiorum consuetudine mansuefacti, tandem religionis Christianæ cognitione ac studio prorsus deliniti, feritatem cum bellorum ac prædandi consuetudine exuerunt, & Imperio sese Romano subdiderunt.

Hos ergo primùm Henricus Auceps aggressus, Brandenburgum, quod fuit arx belli Heneti, obsedit & expugnauit, anno Christi nongentesimo vicesimo septimo, asperrima hyeme castris positis super glaciem. Tenuerunt enim tunc Heneti Brandeburgum pulsis Harlumgis, quos eò collocârat CAROLVS MAGNVS translatos ex Alsatia, circa annum Christi septingentesimum octogesimum nonum.

Domitis Henetis & Sorabis, totam hanc oram distinctam in præfecturas limitaneas, quas nostra lingua vocamus Marchias, distribuit Præsidibus & gubernatoribus, & Ecclesias condidit, vt gens Heneta

quæ à religione Christiana aliena erat, rectè de Deo eruditeretur, & ad pietatis atq; humanitatis cultum assuesceret. Gormone Danorum Rege denicto, huic genti Marchiam Schlesuicensem in Cymbrica Chersoneso opposuit præsidio firmatam, quòd ad arma reuertentem cohiberet atq; arceret. Inde reliquum est nomen Danomarchia.

Contra Henetos vltrà Oderam statuit Marchiam Brandeburgensem, cui præfecit Sigfridum fratrem coniugis Melehtildis: quo sine libris extincto OTTO Primus tradidit eam cuidam Gereoni, ob quã causam Tanguardus frater OTTONI bellum intulit. Gereonem secutus est Brunnico, cuius sepulcrum extat Brandeburgi in monte Harlungorum: Hic filios habuit Menfridum, Hermannum, Hugonem, & Sighardum. Hugo OTTONEM Tertium seruauit Romæ in seditione: postea mortuus est Pistorij anno millesimo primo, & Florentiæ sepultus est: Sighardo natus Theodoricus temporibus Henrici Secundi Marchiam amisit, pulsus inde à Misconeo Rege Obotritorum. Recuperauit eandem Vdo Comes Soltuuedelensis, auxilijs Conradi Tertij Imperatoris, & Archiepiscopi Magdeburgensis. Hoc nati Vdo Secundus & Rudolphus, & rursus Vdone Henricus, Rudolpho natus OTTO, vltimi ex hac familia Marchiam Brandeburgensem tenuerunt. Nam Primislaus Regulus Obotritorum instigatus ab HENRICO Quarto eripuit eam rursus Vdoni Secundo,

do, quòd coniurârat cum Saxonibus, qui HENRICO bellum fecerant. Hoc Primislao mortuo, Marchiam Brandeburgensem obtinuit Albertus vrsus, de quo suo loco.

Præfectura limitanea Sorabis opposita antiquior fuit, cuius etiam in Francorum historijs fit mentio. Ex ea enim Sorabos tumultantes repressérunt, ac ne progrederentur inhibuerunt. Reliquam de ea esse indico Marchiam Landsbergensem, quam peruetustam esse certum est. Nec dubium est, in hæc ipsa loca Francos limitanea præsidia collocasse. Per Sorabos autem HENRICVS in Boiemos mouit, captoq; dedition Vuenceslao eorum Duce cum Praga regionis Metropoli, Boemiam Imperio fecit tributariam. Contra hos & polonos, Silesiosq; condidit Marchias Misnensem & Lusaticam. Marchiam Misnensem commendauit vni ex posteris Vuidechindi iunioris, qui beneficium eiusdem HENRICI tenuerunt præfecturam Soraborum ad Salam, Elistrum, Pleusam, & Albim titulo dominorum Bithyniæ & Sorbeci, Recensentur autem aliquorum namina in historijs & res gestæ. Ridacus ægrè Misniam defendit contra Boiemos: huius filio CAROLO excluso, OTTO Secundus prouinciam tenẽdam commisit ECHARDO filio Guntheri Comitis in ea parte Misniæ, peculiariter à situ Orientalis regio vocata est. Hic ECHARDVS, electis rursus Boiemis, Marchiam Misnensem recepit, & vt fieret hæreditaria

ditaria impetrauit. Reliquit Hermannum & Echardum, quos secuti sunt Dedones duo & HENRICVS ex familia dominorum Bithyniæ, vsq; ad tempora HENRICI Quarti, qui Marchiam Misnensem tradidit Timoni domino Bithyniæ & Soraborum Hoc Timone orti & procreati sunt Marchiones Misniæ, qui postea Misniæ, Comitatum prouincialem Turingiæ, & Ducatum atq; Electoratum Saxoniæ adiecerunt. Sunt qui Echardi fratrem Guncelinum nominant, quem Hermannus bello est persecutus, de quibus suo loco.

Marchiam Lusatiæ HENRICVS commendauit Gereoni Comiti Stadensi, qui Sigefrido Brandeburgensi successit. Gereonem Christianus secutus est, cui Gereo sororem suam despondit: Hic filium Ditmarum reliquit, ex quo natus filius nominis eiusdem genuit OTTONEM: quo mortuo sine liberis, Marchiam Lusatiæ obtinuit Dedo frater Timonis, Marchionis Misniæ. Gesserunt autem hi Marchiones magna bella cum vicinis Polonis & Boëmis, & aliquot ex illis fortiter præliando occubuerunt. Boleslaus Polonus penetrauit populabundus ad vrbem Misenam vsque genti ὁμώνυμον, vi expugnata Budissina, post primi Echardi mortem: Nec finis bellorum fuit, antequam OTTO Tertius Poloniam Imperio coniunxit amicitia ac fœderibus.

Cùm ad hunc modum præfecturas limitaneas HENRICVS distinxisset, ac præsidijs muniuisset condi-

tondidit etiam Ecclesias, Misnensem, Brandeburgensem & Hauelburgensem: sed plerasq; ab ipso tantum inchoatas Otto Prtmus filius absoluit.

Hæc dum gessit contra Sclauos, interea Vngari post finitas nouennales inducias reuersi, Saxoniam depopulari cœperunt. His præproperè occurrit ad Mersburgum, vbi amplius quadraginta millibus eorum internecione deletis, reliquos fugatos tota Germania exegit: qua hoc terrore liberata, deinceps domesticas dissensiones sopiendo, & controuersias inter vicinos Reges Gallicos componendo, partam pacem confirmauit: Quod eò facilius ei factu fuit, quia recens victoria de Vngaris & suis & externis eum formidabilem fecerat.

Ita pacata Germania, cum iter in Italiam pararet, correptus est apoplexia, quæ in paralysin desijt: Ea recrudescente, cum Ottonem filium natu maximum Imperatorem designasset, decessit ex hac vita anno ætatis sexagesimo, Imperij decimo septimo.

Anno CHRISTI Saluatoris nongentesimo tricesimo septimo:

Anno Mundi quatermillesimo, nongentesimo quadragesimo quinto:

Sexto nonas Iulij: Sepultus Quedlimburgi.

Vxorem habuit Mechtilden filiam Diterici Saxonis, sororem Sigefridi,, quem diximus Henricum fecisse primum Marchionem Brandeburgensem, Fuit autem

autem origo vtriusq; ex ijsdem maioribus, de quibus hoc annotatum requiro.

Sighardo, qui contra Dagobertum Francum bella gessit, patre natus Ditericus, quem Carolus Martellus oppugnauit, reliquit filium Vuernechinum Ducem Angriuariorum & Iburgi. Hoc nati sunt Vuidechindus & Brunno fratres. Vuidechindus cum CAROLO Magno dimicauit. Brunnone natus Ludolphus, quem Ludouicus Pius Ducem Saxoniæ constituit, procreauit filios quatuor, & inter hos OTTONEM Magnum patrem HENRICI Aucupis, & Ludegardin sororem, quæ nupsit Ludouico Arnolphi filio.

Ex Vuidechindo nati sunt Vuidechindus iunior Soraborum Præfectus, & Vuigbertus. Vuidechindus filios habuit Vuidechindum & Ditgremum. Ille conductus à Carolo Caluo, profectus est in Galliam militatum contra Normannos, ducto secum in Galliam Ruperto filio. qui postea factus est Dux Andium. Ex hoc Ruperto nati sunt Reges Gallici. Habuit enim duos filios, OTTONEM Regem Franciæ, & Rupertum, qui cùm fratre mortuo regnum Galliæ affectârat, Carolo Simplici capto, tandem interfectus est, & reliquit filium Hugonem Magnum, Comitem Parisiorum, nepotem Hugonem Capetum, qui regnum Franciæ deleta CAROLI posteritate occupauit.

Dit-

Ditgremum alterum, Vuidechindi filium Otto Magnus patruelis pepulit Saxonia: filium eius Ditmarum HENRICVS Auceps restituit. Huius Ditmari filius Ditericus, pater est Marchionum Misniæ, qui nunc tenent Electoratum Saxoniæ.

Vuigbertus Vuidechindi iunioris frater ex Vualberto filio, nepotes habuit quatuor fratres, Regenbertum, Ditericum, Vuidechindum, Immodum, quem alij Amadeum vocant. Regenberti opera feliciter vsus est HENRICVS Auceps in bellis Danicis. Ditericus, cuius filia Mechtildis nupta fuit HENRICO Aucupi, celebratur in historijs titulo Comitis in Ringelheim: Vuidechindi filius Almarus, vtroq; parente religionis ergò profectis in Galliciam, & laboribus itineris extinctis, infans educatus est in Italia, vbi tandem potitus Ducatu Taurinatium & Eporregiæ, primus se Marchionem Montisferrati nominauit, consensu Ottonis Primi, cuius filiam Adelheiden, quam alij Alasiam, alij Volescam depravatè nominant, rapuerat, Ab hoc origo est Marchionum Montisferrati. Quartus Immodus seu Amadeus, pater est stirpis Ducum apud Allobroges, quos vocant Duces Sabaudiæ.

Tantum de origine & propagatione familiæ Saxonicæ reperio.

HENRICVS autem ex Mechtilde coniuge filios suscepit tres, OTTONEM Imperatorem:

HEN-

HENRICVM, cui OTTO post mortem BERTHOLDI fratris ARNOLPHI tradidit Ducatum Bauariæ, filijs ARNOLPHI Hermanno & ARNOLPHO exclusis à Ducatu, sed donatis parte Bauariæ titulo Comitum in Schiern: quo contentos esse oportuit vsq; ad OTTONEM Vuitelsbachium conditorem ex eadem prosapia stirpis Comitum Palatinorum ad Rhenum & Ducum Bauariæ. Tertium filium Brunonem Otto frater Episcopum Coloniensem fecit. Natæ sunt & filiæ HENRICO, quarum vnam Gerbirgam Giselberto Duci Lotharingiæ dedit in vxorem, quæ coniunctio effecit, vt Franci à Lotharingia abstinerent, quam bello erant repetituri: Alteram Adelheiden despondit HVGONI Magno Comiti Parisiorum, quæ HVGONEM Capetum genuit: Tertiam Rixam RODOLPHO Duci Bauariæ filio ARNOLPHI, qui postea ab Vngaris interfectus est: Quartam Comiti de Eberstein in Suevia: Quinta ordinem sacrum amplexa est. Ante coniugium susceperat ex concubina filium naturalem Tanguardum: hunc prælio victum OTTO interfecit: Fuit autem excellens virtus, sapientia, moderatio & felicitas HENRICI, cum non tantum collapsas res Germaniæ instaurarit, sed & amplificarit Imperium adiectione plurimarum regionum, Sclauis domitis, & Ecclesiam propagarit conuersione gentis Henetæ ad agnitionem CHRISTI: & munierit atq; instruxerit

xerit vtrumq; accuratè: Imperium quidem pace & præsidijs: Ecclesias recens conditas Episcopis & doctoribus: vt non sit dubium, & vocatum eum esse diuinitùs ad Imperium, & gubernatum atq; adiutum.

OTTO PRIMVS.

HENRICO Aucupi successit filius Otto, cui Magni cognomentum peperit rerum gestarum amplitudo, quas pace belloq; pacata Germania & regnis externis, confirmato Imperio, & Ecclesijs plurimis fundatis, feliciter confecit. Aquisgrani vnctus in Regem ab Episcopo Moguntino Hildeberto, anno Christi nongentesimo tricesimo septimo, Initia gubernationis quæ difficilia habuit & periculorum plena, exorsus est à bellis domesticis, quæ vndiq; sese commouerant tanta, vt videatur tum Europa in caput perniciemq; Ottonis conspirasse. Cum enim Arnolpho Malo Duce Bauariæ mortuo, Ducatum attribuisset fratri eius BERTHOLDO, filijs ARNOLPHO & HERMANNO iussis vsurpari nomen Comitum prouincialium, vt fuit antiquitùs vsitatum: hi indignè ferentes, se spoliari hæreditate paternæ dignitatis, bellum mouerunt in Bertholdum patruum & Imperatorem.

Decessit eodem tempore Sigefridus Marchio Brandeburgensis, nullo relicto hærede: Eius prouinciam occupauit Tanguardus frater OTTONIS

NIS ex concubina, repulso Gereone, cui OTTO prouincian destinârat. Tanguardo se adiunxit EBERHARDVS Dux Franconiæ odio Ottonis & inuidentia, inq; belli sociotatem pertraxit Giselbertum Lotharingiæ Ducem, simulata pollicitatione inductum in spem regni. EBERHARDVS armatis suis & socijs auxilijs, sub fidio venturus Tanguardo obsessò Heresburgi, vel, vt alij malunt, Brandeburgi, à copijs Ottonis in itinere expugnata arce, quam scriptores nominant Basilicum, cepit HENRICVM OTTONIS.

In Boiemia eodem tempore Boeslaus Dux, trucidato fratre Vuenceslao, quòd ad Christianos transijsset, arma expediuit in Imperatorem: & vicini Vngari periclitaturi vires & fortunam uoui Imperatoris, infestis armis in Franconiam irruerant, hac peruastata Saxoniom agressuri.

His bellis tàm difficilibus atq; diuersis Imperator implicatus, Bauaricos motus primò compressit: & dedentibus sese Brandeburgensibus, cum Tanguardo à militibus interfecto sedasset motus intestinos hac in parte, duxit copias in Boleslaum Boiemum: cuius belli initia cum prosperè succederent, mox & Vngaros repulit. Sed paulò pòst fortuna mutata, Boeslaus ex illata Imperatori claude tantos spiritus concepit, vt bellum sæpe renouatum produxerit in annum quintum decimum, quo tandem diuturnitate fractus in Imperatoris fidem sese tradidit.

In-

Interea EBERHARDVS interitu Tanguardi, & Imperatoris successu territus, HENRICVM spe regni incensum dimisit. Conspirarunt ergo in Imperatorem HENRICVS frater, Eberhardus Francus, & Giselbertus Lotharingus, copijsq; in Lotharingia coactis, & rebas omnibus ad bellum necessarijs comparatis atq; expeditis, se instruxerunt: quibus cum re comperta Imperator ad Rhenum congressus, copijs dissipatis, ipsos in fugam egit. HENRICVS frater Mersburgum euasit, ibi obsessus ab Imperatore, & vrbe capta elapsus, cum triginta dierum inducias impetrasset, bellum in Lotharingia instauruit confœderatorum ope. Ab his tùm etiam LVDOVICVS Transmarinus Caroli Simplicis filius Rex Franciæ, in auxilium accitus spe recuperandæ Lotharingiæ Alsatiam inuasit.

Otto ergo vniuersis copijs in Alsatiam adductis, & LVDOVICO regredi coacto, qui Brisacum præsidio munierat, se in hostes socios conuertit, ad quos ex castris Imperatoris transfugerant Episcopi, Moguntinus & Argentinensis. Sed perrupit & vicit fortuna Imperatoris, Eberhardo ad Andernatum oppidum in acie cæso, Giselberto submerso in Rheno, HENRICO fratre coniecto in fugam.

Adest enim ordinariæ & legitimæ potestati Deus, & hanc tuetur, huius dirigit & fortunat consilia

filia, conatus & industriam: cumq; scriptum sit, Qui potestati resistit, Deo resistit: non dubium est, sicut & hoc Ottonis exemplum testatur, seditiosos puniri diuinitùs etiam in hac vita.

Gessit hoc bellum auxilijs & virtute Hermanni Ducis Sueuiæ, & fratrum eius, Vdonis atq; Conradi qui cognominatus est Sapiens, cui propterea Ludgardam filiam collocauit in vxorem, addita dotis & præmij loco Lotharingia, cum HENRICVS Giselberti filius ex sorore Imperatoris Gerbirga obijsset: Hermanni verò Sueui filiam despondit filio Ludolpho, ad quem Hermanno defuncto Ducatus Sueuiæ hæreditatis & successionis iure peruenit. Huius Ludolphi ex Ottone filio nepotes fuerunt Brunno, quem Otto Tertius creauit Pontificem Romanum cognomẽto Gregorium Quintum: & Echardus Marchio Saxoniæ Lothario & Bennone, quòd aduersaretur electioni Henrici Sancti: Sed de Brunnone nonnulli aliter sentiunt, vt dicetur.

Transegit & cum Ludouico Transmarino, atque vt pacta firmiora essent, dedit ei in vxorem viduam Giselberti, quæ peperit filios Lotharium Regem Franciæ, & Carolum beneficio Ottonis Ducem Lotharingiæ.

HENRICVS frater rebus omnibus desperatis Ottoni supplex factus, venia impetrata vitam Con-

seruauit: sed custoditus aliquandiu in arce Ingelheimense, tandem matris intercessione liberationem, & post mortem Bertholdi Ducis Bauariæ, qui anno nongentesimo quadragesimo octauo absq; liberis decessit, Ducatum Bauariæ à fratre obtinuit. Huius HENRICI cognomento Rixosi nepos fuit HENRICVS Sanctus Imperator.

Sopitis hoc modo ciuilibus bellis in Germania, & affinitate iuncta cum Rege Franciæ LVDOVICO, cum in Gallia HVGO Parisiorum comes, capto Regi LVDOVICO regnum Franciæ conaretur eripere, & insolenter minitaretur Germaniæ, quòd ἀξίωμα Monarchiæ totis viribus repetiturus esset: Otto cum exercitu accessit ad vrbem Parisiorum, & Hugone grauiter afflicto adactoq; ad pacem petendã, & regni affini LVDOVICO reddito, Belgas & Burgundos Gallico regno detractos, Germaniæ adiecit.

Hac expeditione occupatus, amisit coniugem Edittam Anglicam. De alia ducenda deliberanti, venit in mentem Adelheidis vidua LOTHARII Regis Italiæ, de quo supra dictum est, filia Rodolphi Regis Burgundorum. Hanc post Lotharij mortem Berengarius tenuerat captiuam Papiæ, Suscepit ergo expeditionem, rogatus ad Italiam à tyrannide Berengarij liberandam. Hic Berengarius filius fuit Alberti Marchionis Eporregiæ, & Giselæ filiæ Berengarij primi, qui auo materno Berengario

primo extincto, cum RVDOLPHO Rege Burgundorum primùm, postea cum HVGONE Arelatense Comite, Germanicis auxilijs de regno Italiæ decertauit: Sed HVGO metuens potentiam Berengarij, transegit cum eo talibus conditionibus, vt Berengarius cum filio ipsius LOTHARIO pari iure regnaret, ipse tota Italia decederet. At LOTHARIVS vix biennium post patris discessum superstes, soli Berengario regnum reliquit: qui cum viduam LOTHARII in vincula coniecisset, & vsurpato titulo Imperatoris Pontificum assensu, filio verò creato Rege Romanorum, multa tyrannicè faceret: OTTO accersitus, præmissis filio Ludolpho & Conrado Sapiente genero, fregit Berengarij vires, moxq; secutus Adelheiden carcere exemtam duxit in vxorem: Berengarium verò cum ALBERTO filio captiuum abduxit in Germaniam, relicto Papiæ Conrado genero. Sed hos paulò pòst captiuitate solutos in Italiã remisit, & in Longobardia regnare iussit. Quare Conradum generum, vt nuptijs secundis Ludolphũ filium, grauiter offendit. Inde enim mox nouum bellum extitit, conspirantibus contra Ottonem filio & genero, quibus adhærebat Episcopus Moguntinus, OTTONIS partes tuente fratre HENRICO Bauaro.

Reuersus ex Italia Otto, exercitum filij obsedit Moguntiæ. Filius vt sese confirmaret, occupata Ratis-

Ratisbona HENRICVM patruum eiecit Bauaria, auxilijs HERMANNI & ARNOLPHI Comitum Schirnensium, qui se hac occasione Ducatum, quo erant exuti, recuperaturos sperabant. Sed Otto mox re comperta, obuiam filio processit, eoq; sine prælio fugato, & intra vrbem Ratisbonam cum ARNOLPHO Schirnensi concluso, vniuersas copias vrbi admouit, quam post longam obsidionem tandem fame expugnauit, cum paulò antè ARNOLPVS Schirnensis, cuius virtute vrbs defensa fuerat, in velitatione quadam trucidatus esset. Capta Ratisbonâ & mox copijs etiam, quæ Moguntiam tenebant, dissipatis, omnes hostium conatus elisit. Filio & genero, nudis pedibus ad genua ipsius aduolutis, & culpam multis lacrymis deprecantibus, ignouit.

Tantis tamq; continentibus bellis Vngari rati potentiam OTTONIS attritam, & Germaniæ vires exhaustas esse, copijs denuò quantis antea nunquam, per Bauariam in Germaniam irruperunt populabundi. Contra hos subitò coëgit exercitum ex Bauaris, Sueuis, Saxonibus, Francis & Boicmus: cumq; illis congressus ad Licum amnem, non procul ab Augusta, totum exercitum ad internecionem cecidit, perpaucis captis, inter quos scribuntur fuisse tres Reguli, quos HENRICVS Bauarus suspendio necauit. Pugnatum est cum Vngaris ab OTTONE eodem die, quo ante annos quadraginta octo de-

deletus fuit ab ijsdem exercitus LVDOVICI Tertij trium dierum continenti prælio, id est, quarto Idus Augusti, Anno CHRISTI nongentesimo quinquagesimo quinto, altero anno post motum Ludolphi filij.

Ceciderunt in hoc prælio multi præstantes viri, & inter cæteros Conradus Sapiens gener Imperatoris, sagitta traiectus, cum propter æstum galea aperta respirationis causa faciem nudasset, cuius cadauer Vuormaciam delatum est: itemq; Burghardus Dux Sueuorum, gener HENRICI Bauari, cum Hencicus propter ægritudinem prælio interesse non potuisset, qui quidem eodem anno paulò pòst pugnam è viuis excessit, Calendis Nouembris.

Liberata ab hoc terrore & periculo Germania, Imperator bellum parauit in vicinos Danos & Henetos. Bellum enim contra Sclauos reliquerat pater HENRICVS, quanquam inclinatum accisis eorum viribus, non prorsus tamen confectum: Nullas enim excutiendi noui iugi, nullas religionis, ad quam armis coacti erant, abijciendæ, veterisq; reuocandæ occasiones neglexerunt.

Dani legatis Imperatoris & primo Marchione Schlesuici obtruncatis, coloniam Saxonum, quam eò HENRICVS Auceps deduxerat, funditus deleuerant. His ad Schlesuicum deuictis magno prælio, Regem eorum Haroldum coëgit, & fidem Christianam actipere, & iugo Imperij sese subdere

Locus

Locus pugnæ nomen OTTONIS retinuit, Ottensund.

Eo tempore Dania opera Adaldagi Episcopi Hamburgensis conuersa atq; confirmata, & in tres distributa Episcopatus, in Christianæ religionis confessione constanter perseuerauit. Obtinuit & victoriam contra Henetos, quibus leges & religionem mutauit, pro Idolatrica veteri noua Christiana imposita. Constituit & Episcopatus, à quibus regerentur in ijs, qui ad religionem pertinerent: & præfecturas, quibus corpora subiecta essent cum fortunis certis conditionibus: quibus etsi toto tempore Imperij OTTONVM persliterunt, tamen postea nacti occasiones nouas ex principum de Imperio contentionibus, ijs repudiatis, Imperioq; detrectato, ac multis illatis damnis, sese inde rursus exoluerunt, & Idolatriam veterem renouarunt. Hanc cum Princeps ipsorum Godescalcus institutus in religione Christiana sub Conrado Saliquo denuò aboleuisset, à suis est obtruncatus, qui in Idolatriam pristinam relapsi in hac permanserunt per annos octoginta quatuor, vsque ad HENRICVM Leonem & ALBERTVM Vrsum Principes. Hi tandem Sclauorum familijs multa cæde attenuatis & extirpatis, inq; eorum locum nouis colonis adductis, ex Belgico præcipuè & Vuestphalia, perfecerunt, vt reliquiæ oppressæ nouorum colonorum multitudine, nihil moliri amplius aut turbare possent vel auderent. HENRI-

cvs enim Ducem eorum Bribislaum tota ditione pepulerat: Eundem postea ab exilio reuocatum sibi adiunxit contra vicinos hostes. Ab hoc Bribislao origo est Ducum Megalburgensium.

Hæc dum bella domi gessit OTTO, Ludolphus compescuit in Italia Berengarium, crudeliter & sine discrimine sæuientem in quoscunq;, & cædibus atq; exilijs patriam desolantem: vbi re feliciter gesta, mortuus est anno Christi nongentesimo quinquagesimo septimo. Cadauer eius frater Vuilhelmus, quem pater fecit Moguntinum Episcopum post FRIDERICI obitum, sepeliuit in æde diui Albani. A morte LVDOLPHI cum Berengarius resumto animo sæuitiam exasperasset, vrgentibus & exulibus Italis, & Pontifice Romano IOHANNE XII. OTTO ipse decreuit & indixit bellum Berengario. Ad id gerendum antequam profectus est, habito conuentu procerum Imperij Ratisbonæ, OTTONEM filium septennem Imperatorem declarauit, & Vuilhelmo fratri Episcopo Moguntino educandum atque erudiendum tradidit: indeq; primo Vere superatis Alpibus Italiam ingressus, Ticinum vi, ceteras vrbes deditione cœpit.

Berengarium fugientem insecutus, ex itinere Romam adijt, vbi salutatus Imperator à IOHANNE Pontifice vrbem occupauit, iurantibus in verba Imperatoris Senatu populoq;, & se in potestate eius fore, ac

re, ac fidem præstituros pollicentibus. Factum id est, anno Christi nongentesimo sexagesimo secundo. Sed vix ab vrbe discesserat ad obsidendum Berengarium, qui cum vxore Vuilla abdiderat sese in montem Leonis, vbi & cepit eum deditione, & abductum in Germaniam, condemnauit ad perpetuos carceres Bambergæ, in quibus vitam finijt cum coniuge: Eò igitur vix ab vrbe cum exercitu mouerat, cùm Pontifex mutata voluntate et fide, Alberto Berengarij filio clàm intromisso vrbem tradidit. Eo cognito Imperator iratus redijt cum exercitu ad vrbem: Et quia Pontifex cum Alberto aufugerat, denuò vrbem religione iurisiurandi obligatam coëgit renouare promissionem renunciati iam olim iuris in electione Pontificis, scilicet, non sese vllum posthac Pontificem creaturos sine consensu Imperatoris.

Celebrauit & Synodum in vrbe, veterum Imperatorum exemplo, in qua IOHANNEM XII. propter perfidiam, turpes libidines & alia crimina, monit Pontificatu, & in eius locum suffecit LEONEM Octauum. Hic LEO in eadem Synodo facto decreto Ottoni, sicut ADRIANVS antea CAROLO Magno, contulit ius & potestatem elegendi & consecrandi Pontificem Romanum, & ordinandi ea, quæ ad sedem Apostolicam pertinent, item Episcopos constituendi atque confirmandi; Fecit & declarauit irritam electionem omnem

omnem non approbatam consensu Imperatoris, Denique omnes, qui vel labefactarent decreti autoritatem, vel sese ingererent, non expectato assensu Imperatoris, ejciendos ex Ecclesia, & anathemate feriendos censuit. Extat hoc decretum distinctione 63. cui paulò pòst subiungitur formula iuramenti, quo se ferunt Ottonem deumxisse Iohanni Pontifici, quòd nullum velit Papæ creare periculum vitæ, neque honorem illi aut dignitatem abrogare: De rebus verò ad vrbem pertinentibus, quòd nihil deliberare velit aut decernere, nisi ex sententia Pontificis, Quam iuramenti formulam impudenter confictam esse & suppositiciam, sicut & donationem LVDOVICI Pij, quæ mox hanc antecedit, manifestum est ex verissimis testimonijs historiarum, quæ hæc mendacia refutant. Etsi enim, neq; Otto quis fuerit expressum est, neq; quotus IOHANNES Pontifex: tamen si fuit Otto Primus, & Iohannes XII. quomodo inter se congruunt Leonis constitutio & promissum Iohanni factum, quod oportuit præcessisse? aut promisso quomodo consentiunt, quæ amoto & pulso Iohanne de Imperatoris autoritate in Synodo decreta Leo permulgauit: quæue & Otto Primus, & secuti eum aliquot Imperatores ad bella Henricorum vsq; in vrbe & contra Pontifices statuerunt ac sanxerũt? Sed sit fides horum, vt plurium aliorum, penes autores ipsos.

Seda-

Sedatis motibus in vrbe, imperator profectus est ad constituendos principatus Spoletanum & Camerinum. Interea Romani corrupti ab Alberto filio Berengarij, Iohannem reuocârunt, Leonem pepulerunt vrbe, & Iohanni post reditum procaci libidine turpiter extincto, contra datam paulò antè & iuramento obstrictam fidem in Pontificatu surrogarunt alium nomine Benedictum: Hac perfidia grauiter offensus Imperator, reduxit exercitum ad vrbem, atq; ad defensionem paratam obsidione cinxit, tàm arctè omni vndiq; concluso & obsepto aditu, vt penuria commeatus ciuibus penè deuentum sit ad humanas carnes. Vrbe in deditionem accepta, ciuibus pepercit: Sed Benedictum Pontificem mulctatum exilio, Adaldago Hamburgensi Episcopo tradidit custodiendum, apud quem mortuus est.

Consumsit his bellis totum biennium: quo exacto, Italia liberata tyrannide Berengarij, conquieuit aliquantulum: cum ante Ottonem per annos sexaginta, multiplicem sæuitiam experta, domimos vario bellorum & fortunæ euentu crebro mutasset, perfidia præcipuè Pontificum, & nonnullorum, qui Pontificibus addicti, nunc hos, nunc alios factionum studio attrahebant: qui quidem & hanc ipsam virtute & sapientia Ottonis reparatam quietem non siuerunt esse diuturnam. Vix enim reuerso in Germaniam Ottone, Leo Pontifex excesit è viuis. Missi sunt ergo

ad Im-

ad Imperatroem, qui de huius obitu significarent, & successorem decerni peterent: Designatus est autoritate Iohannes XIII. Hunc aliqui ex nobilitate, Imperatoris odio, & studio euehendi alterius, in carcerem detruserunt. Quo comperto Imperator, cum domi res Germanicas composuisset, ratus exemplo fore opus ad retundendam toties iteratam contumaciam, Romam accelerauit. Etsi autem ante aduentum Imperatoris ad vrbem, autores captiuitatis metu dimissum Pontificem restituerant, nihilominus perrexit Imperator, & tredecim ex illis, quos compererat fuisse Principes consilij de Pontifice capiendo, suspendio puniuit.

Diutius commoratus Romæ, vt diuturniore præsentia frangeret improborum audaciam ac molitiones, euocatum eò Ottonem filium, curauit renunciari Imperatorem, quòd conspectum successoris certi profuturum ad maiorem vrbis tranquillitatem censeret. Ante huius aduentum, NICEPHORVS Constantinopolitanus Imperator, metuens potentiam Ottonis, missis legatis renouauit pacta vetera, quæ cum Imperatoribus Francicis maiores fecerant. Otto vicissim confirmandæ amicitiæ causa per legatos petiuit filio coniugem Theophaniam priuignam NICEPHORI, filiam Romani. Id indignè ferentes Græci, legatos Ottonis in itinere violarunt. Hæc iniuria irritatus Imperator

perator Apuliam & Calabriam, quæq; in Italia Græcis ad huc parebant, longè lateq; depopulatus est. Tandem adductam Theophaniam filio dedit in vxorem, & nuptijs peractis redijt in Germaniam, vbi cum se absente venæ Matellicæ apud Bructeros ad Goslariam repertæ fuissent, oppidum illud exornare cæpit.

Priusquam expeditionem Italicam suscepit, quòd amissis RVDOLPHO filio & CONRADO genero neminem haberet ex suis, cui tutò Saxoniæ gubernationem committeret se absente, in tam dubia fide vicinorũ, quos recens bello domuerat praetulit cæteris Nobilem quendam HERMANNVM humili loco natum, patre, quem historiæ vocant Bilichium, cuius fidem, integritatem, sapientiam & industriam sæpè antea, rebus difficilimis perspexerat, ac probârat: hunc ex Italia reuersus, creauit Ducem Saxoniæ, attributa eiu Saxonia hæreditate Marchionis Gereonis. Ab hoc defluxerunt Duces Saxoniæ, qui tenuerunt tractum circa Luneburgum vsq; ad Magnum vltimum Ducem: Quo ab HENRICO Quarto capto & carceris squalloribus enecato, sine superstite prole masculâ, HENRICVS Quintus Ducatum Saxoniæ attribuit LOTHARIO Imperatori. HENRICI Aucupis prosapia tenuit Brunsuigam titulo Marchionum Saxoniæ vsque ad eundem LOTHARIVM, ECHARDO

DO postremo Marchione ad Brunsuuigam in molendino interfecto.

Cùm autem imperia diuinitùs constituantur & conseruenetur præcipuè, non propter ocium & voluptates hominum, sed propter Ecclesiam, vt sint aliqua Ecclesiæ hospitia, vbi homines legibus & disciplina cicurati, excultiq; artibus ac doctrinis mansuescant, atq; ad humaniorem viuendi rationem traducãtur, & munti & tecti Monarchiarum potentia Deum rectè agnoscere discant & inuocare: OTTO intelligens propagationem religionis & Ecclesiæ præcipuè ad munus suum pertinere, bella quæ gessit, non tantum ad eum finem retulit, vt ampliatis finibus Imperij firmatisq; dulcem suis tranquillitatem compararet, & ijs gentibus, quæ adhuc alienæ erant à professione Christiana, ad Deum conuersis, ceu proferret limites regni Christi in genere humano.

Præstitit ergo Danis & Henetis, quod antea Saxonibus Carolus præstiterat. Fundauit Ecclesias distributas in Episcopatus, ordinatis reditibus annuis, quibus ministri Ecclesiarum alerentur. De Danis supra dictum est. Henetis condidit Episcopatus Aldeburgensem, Hauelburgensem & Brandeburgensem, quos subiecit Metropolitæ & Hamburgensi: Sorabis Magdeburgensem, Mersburgensem, Cicensem „& Misnensem: Magdeburgensi attribuit fontes salis, qui sunt in Salinis Saxonicis.

Hic

His tantis rebus confectis, cum anno Christi nongentesimo septuagesimo quarto festum ascensionis Domini celebrasset Mersburgi: inde profectus Quedlinburgum versus, subitaneo correptus morbo, quem Apoplexiam fuisse ratiocinor, è vita excessit Nonis Maij, anno regni tricesimo septimo, Imperij decimo tertio.

Anno à nato Christo nongentesimo, septuagesimo quarto.

A Mundi initio quatermillesimo, nongentesimo, tricesimo sexto.

Sepultus est Magdeburgi: Princeps, quo post CAROLVM Magnum Germania vix habuit præstantiorem: siue ardens veræ pietatis erga Deum ac religionis propagandæ studium: siue rerum gestarum magnitudinem, sapientiam in gubernatione, atq; industriam militarem: siue cæteras mitiores virtutes, iusticiam, clementiam, mansuetudinem, moderationem in victoria, spectemus. Restituit enim Imperium, quod erat horribiliter dilaceratum: pacauit Germaniam, Galliam & Italiam: contudit Vngaros eiectos Italia & Germania: Danos, Sorabos, Henetos, Boiemos, perduxit ad societatem Ecclesiæ. Tot modis lacessitus, nihil seuerè crudeliterq; statuit, sed victis clementer ignouit ac pepercit, deleta ex animo omni offensionum memoria, quod in primis magni ac Heroici animi argumentum fuit. σχεπτὶ γὰρ φρένες ἠθλῶν, inquit Homerus. Et,

Quo quisq; est maior, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.

Vxores habuit duas: primam Edittam, Eduardi Anglorum Regis filiam, ex qua nati filij LVDOLPHVS *Sueuiæ Dux, de cuius posteritate dictum est: & Vuilhelmus Episcopus Moguntinus: filia Ludgarda, quæ fuit coniunx Conradi Sapientis Francorum Ducis. Hanc missam anno nongentesimo quadragesimo octauo, septimo Calendas Februarij, sepeliuit Magdeburgi. Alteram Adelheiden viduam Alberti Regis Italiæ, ex qua genuit filios, Henricum primogenitum, Brunonem & Ottonem Secundum successorem, filiam Adelheiden, quam in vxorem tradidit* HVGONI *Capeto Comiti Parisiorum, Regi Franciæ.*

Tribuunt Ottoni Primo & filiam Alasiam seu Volescam, quam Alramus filius Vuidechindi Saxonis Comitis in Ringelheim rapuit. Propter eam Ottoni reconciliatus obtinuit Ducatum Eporregiæ & Taurinatium, titulum Marchionum Montisferrati: quod nomen inde extitisse ratiocinor, quòd ea pars Alpium distingueret regnum Franciæ ab Imperio versus Italiam,

OTTO SECVNDVS.

OTTO Secundus MAGNI Filius, puer septennis Aquisgrani in Germania, postea cum adole-

adoleuisset Romæ, anno Christi nongentesimo sexagesimo quarto declaratus patri in Imperio successor, prima militiæ tyrocinia patre viuo magna cum laude fecit in bella contra Græcos & Saracenos in Italia vlteriore, quod extitisse à violatis legatis suprà diximus, quos Constantinopolin Otto pater miserat, confirmatum amicitiam cum Nicephoro Imperatore Orientis, & petitum filiam Theophaniam Ottoni filio in vxorem. Id bellum enim præcipuum gessit Otto filius, Græcosq; cunc tota penè Calabria & Apulia eiecit, Saracenis, qui recens Consentiam inopinato aduentu oppressam receperant, & cum Græcis societatem inierant, partim cæsis, partim dissipatis. Tantam hæc prospera & læta initia & formidinem hostibus iniecerunt & autoritatem ipsi pepererunt, vt patre mortuo facilè Imperium obtinuerit circa cuiusquam aduersationem, vno excepto HENRICO *Duce Bauariæ patruele, quem Hezelonem cognominant. Hic enim Ottoni Imperium inuidens, pertractis in suam sententiam aliquot Episcopis, se Ratisbonæ Imperatorem nominauit. Sed Otto, quòd potentia antecelleret, & beneuolentia ac studio subditorum,* HENRICVM *ad causam dicendam accersitum, sine armis coëgit pacem petere, deposito quem assumserat titulo Imperij. Propter hanc molitionem exilio eum mulctauit, & Bauariæ administrationem commendauit Ottoni Sueuorum Duci, nepoti ex fratre* LVDOLPHO.

HENRICO Bauaro sub iugum redacto, arma vertit in Reges, Danicum Heroldum, Polonicum Miesconem, Boëmicum Boleslaum, quos fœderibus sibi adiunctos concitarat in OTTONEM HENRICVS: Sed hi statim armis positis, cum Imperatore in gratiam redierunt.

Successit ergo patri OTTO anno Christi nongentesimo septuagesimo quinto: & quanquam præclarè sese dederunt initia, tamen fortuna, quæ secuta est, principijs non respondit. Aduersam enim hanc sæpius, quàm secundam, in reliquo gubernationis & bellorum cursu expertus est.

Ijs quæ diximus bellis domesticis ipso distento, Lotharius Franciæ Rex Lotharingiam armis repetijt: quam etsi LOTHARIO ad famam aduentantis Imperatoris cedente, celeriter recuperauit: tamen cum incautius & confidentius Aquisgrani diuersaretur, præpropero & improuiso Lotharij reditu penè oppressus est, vbi, nisi fuga euasisset, in Francorum deuenisset manus. Irritatus hac ignominia cum exercitu populabundus ad ipsam vsq; Parisiorum vrbem penetrauit, & Lotharingiam receptam, denuoq; Germaniæ copulatam, sed tractuum quorundam auulsione diminutam, quos Episcopis Colonienſi & Leodienſi attribuit, donauit CAROLO fratri LOTHARII, ea tamen lege, vt beneficio Imperatoris tanquam prouinciam Germaniæ possideret. Inde cum reuerteretur, reditu interclu-

terclusō Axonæ fluminis exundatione, magna passus est detrimenta, multis amissis, quos partim aquarum impetus absorpsit, partim interfecerunt ij, qui nouissimo agmini prædæ spe inhæserunt.

Rebus domi expeditis adornauit expeditionem in Græcos & Saracenos. Nam Basilius & Constantinus Imperatores Græci, fratres Theophaniæ, cum superatis prosperè in Syria, & ex Creta insula exturbatis Saracenis, comperissent OTTONEM domi bellis domesticis distineri, conductis pecunia ad belli societatem Saracenis Siculis, Apuliam omnem, & Calabriam recuperârunt, quas Nicephorus nuper amiserat. Has OTTO repetiturus vt suas pronuncias, coëgit copias vniuersas Germanicas & Italicas, atq; in descensu ex Alpibus per OTTONEM Suenorum Ducum depulsis ex Istria & Dalmatia Græcorum præsidijs, eò vsq; limites Imperij produxit.

Prima castra contra Græcos, fiducia auxiliorum Saracenicorum feroces, vniuersis copijs fixit ad Beneuentum: vbi commissum est prælium atrox. Sed Romanis & Beneuentanis sceleratè aciem deserentibus, reliquæ copiæ IMPERATORIS fusæ fugatæq; sunt: ipse abiectis armis & vestibus ad sinum Tarentinum Rosanamq; eius littoris vrbem Theophania vxor, & Theodoricus Mediomatricum Episcopus substiterant cum impedimentis, cursu

contendit, spe euadendi in vrbem: verum cùm vrgentium Saracenorum interuentu terra excluſus eſſet, in mare deſilijt, adnataturus ad vrbem: ſed ab hoſtium nauibus interceptus eſt, vbi cum non agnoſceretur, pretio ſeſe à nautis redemit. Sunt qui in Siciliam traductum, & poſtquam agnitus eſſet, Pyratis ereptum reductumq; in Italiam Siculorum opera affirmant. quod veriſimile non eſt.

Sed quoquo modo ſe res habet, euaſit ex hoſtium manibus ſeruatus diuinitùs admirabiliter. Eſtq; hæc ipſa OTTONIS conſeruatio exemplum inſigne, cùm inconſtantiæ rerum humanarum, tùm præſentiæ diuinæ in Imperijs: quòd adſit Deus Imperijs iuſtis, ea tueatur & ſeruet, & bonos ac iuſtos Principes protegat, atq; ex circumfuſis malis admirandis modis eripiat, cùm omnibus humanis præſidijs deſtituti videntur.

Græci ſi perrexiſſent, tota Italia nullo negotio fuiſſent potituri: ſed accidit eis, quod omni tempore euenire conſueuit, vt tunc à ſocijs Saracenis impediti, & paulò pòſt oppreſſi, penitùs tota Italia & Sicilia exciderint, quas terras non longè pòſt Normanni à GEORGIO Maniace contra Saracenos inuitati eripuerunt vtriſq;.

OTTO cum exercitum amiſiſſet, & penè Imperium, diuinitùs ſuis redditus, diſiectas dilapſasq; reliquias, quantas potuit, collegit, bellum inſtauratu-

rus

rus: in quo cum nonnuulli Saracenorum auxiliares copias ad internecionem deleuiſſe, indeq; adeptum eſſe cognomentum, vt vocaretur pallida mors Saracenorum, Deinde puniſſe profugos Beneuentanos & Romanos, illos orbe patria exciſa ac ſolo æquata, hos domicædibus & ſupplicijs.

Ad hunc modum cum Italiam à Saracenis liberaſſet, OTTONEM Ducem Sueuiæ remiſit in Germaniam, qui antequam fines patriæ attigit, è vita emigrauit, pridie Calendas Nouembris, anno Chriſti nongenteſimo octogeſimo tertio. Hunc OTTO ipſe paulò pòſt ſecutus eſt. Mortuus eſt enim ventris profluuio, ſexto Idus Nouembris: Anno Chriſti nongenteſimo octogeſimo tertio. Anno Mundi quatermilleſimo, nongenteſimo, quadrageſimo quinto: Imperij decimo. Conditus Romæ in Baſilica S. Petri ſepulchro porphyretico: Princeps alioquin egregius, ſed patre multò inferior, vt qui felicitatis, & virtutis paternæ memoria plus initio, quàm induſtria propria geſſit poſtea.

Ex Theophania ſuſcepit filios OTTONEM Tertium puerum: HVGONEM, quem alij Vlricum nominant, Marchionem Saxoniæ, & filias quinque. Narrant eum aliam etiam habuiſſe coniugem ex familia Marchionum Auſtriæ, ſed quæ fuerit illa, quibuſue ſit orta parentibus, non annotant: Tribuuntur ei & filiæ plures, inter quas vnam prodiderunt fuiſſe coniugem trium Regum, primò

Mieſconis Poloniæ, deinde Boleslai Bohemiæ, poſtremò Vngariæ Regis: ſed hæc, quòd certi & explorati nihil de eis reperiam, omitto.

OTTO TERTIVS.

CVM OTTONE *Secundo mortuo, filius Otto cognomento Puer, per ætatem nondum idoneus eſſet ad Imperium, nouæ de ſucceſſione contentiones exortæ ſunt. Romanis autor erat Creſcentius, vt ſuum ſibi crearent Imperatorem, nec Germanos amplius admitterent. In Gallia Germanis bellum inferebat Lotharius, de erepta ipſi ab Ottone Secundo Lotharingia, & de axiomate Imperij. In Germania* HENRICVS *Bauarus denuò fiducia nonnullorum ordinum ad Imperium aſpirabat. Is poſt mortem* OTTONIS *Sueuici ab exilio reuerſus Bauariam receperat, & vt prætextu tutelæ facilius Imperium conſequeretur, patre mortuo Ottonem Puerum ad ſe tranſtulerat. Plurimi ex proceribus Germaniæ Ottonem ab Henrico repoſcebant, & huic vt hæredi legitimo Imperium deferebant. Vicit tamen ſententia eorum, qui Ottonem Imperatorem eſſe volebant.*

OTTO *ergo & ſuffragijs conſenſuq; procerum, & ſucceſſione adeptus Imperium, quàm primum ætus maturuit, rebus domeſticis conſuluit. Interea*

terea Lotharius, qui Lotharingiam repetiuerat, deſiit eſſe in viuis. LVDOVICVS *filius eius tantum vnum annum poſt patrem ſuperſtes, fato & ipſe functus eſt. Interijt &* CAROLVS *Lotharij frater ab* HVGONE *Capeto oppreſſus & captus, dum è Lotharingia regnum Francicum, tanquam ſibi debitum iure hæreditario occupare conatur. Ita* HVGO *Comes Pariſiorum, ſtirpe Carolina prorſus abſumta, diudum appetitum affectatumq; regnum Franciæ tandem obtinuit: de quo ne cogeretur cum Germanis dimicare, citra controuerſiam axioma Imperij Ottoni conceſſit, &* CAROLI *filium Ottonem ab omni ſpe regni Francici excluſum, ſiuit Lotharingiam beneficio Imperatoris poſſidere. Hic* HVGO, *vt dixi, conditor eſt tertiæ ſtirpis Regum Franciæ, quæ & res magnas geſſit pro Repub. Chriſtiana in Europa, & adhuc regnum tenet. Prima enim à Meropheo in Hilderico Rege, quem Pipinus* CAROLI *Magni pater in Monaſterium ingredi compulit: Secunda Pipini &* CAROLI *Magni, in hoc* LVDOVICO *Vltimo deſijt.*

Cùm ergo in Germania à domeſticis & externis motibus tranquillitas eſſet: Italia verò aut cum ſeditionibus conflictaretur perpetuis aut, ſi quieſceret, non deſineret tamen occaſiones quærere, quibus à Germania & ſeſe auelleret, & axioma Monarchiæ transferret vel ad ſuos, vel ad alienos ſuo arbitrio, per

nicioso prorsus nimiæ libertatis amore ac studio: quæ res magnorum & continuorum motuum causa fuerat per annos sexaginta: OTTO totus in eam curam cogitationemq; incubuit, quomodo saluti & quieti Italiæ consuleret, & Germaniæ illam copularet ad eum modum, vt æquabili seruitutis ac libertatis temperamento, Germania bello partam Monarchiæ Romanæ atq; Italiæ possessionem retineret: Italia vicissim Germaniæ & axioma Imperij relinqueret, & certis legibus pareret, atq; ab hac, cum opus esset, defenderetur. Hanc tantam rem quomodo ordiretur: & quibus artibus & consilijs perficeret, non dubito diu eum secum & cum alijs deliberasse.

Quòd autem comperisset, Crescentium vsurpata potestate Consulari vel Tribunitia Romæ tumultuari & Pontificem vrbe pepulisse, eò cum exercitu profectus est. In itinere cum ad Rauennam substitisset, allatus est opportunè nũcius de morte Pontificis. Statim ergo decreuit ei successorem agnatum suum Brũnonem filium OTTONIS Ducis Sueuiæ, LVDOLPHI nepotem, qui nomine mutato Gregorius Quintus appellatus est: Nonnulli nepotem fuisse tradunt Conradi Sapientis. Huius opera & consensu, vt dicetur, quod de Imperio conceperat, executus est. Præmisit autem Pontificem Romam: Ipse cum exercitu secutus est, & intromissus in vrbem Crescentio ignouit.

A Pon-

A Pontifice declaratus Imperator, constituerat, redire in Germaniam: sed cum illo vix digresso ab vrbe Crescentius rediret ad ingenium, & electo Gregorio Pontificem fecisset priuata autoritate IOHANNEM Placentinum, hominem prædiuitem: instaurasset mœnia vrbis, & apparasset necessaria ad defensionem, & si foret opus, etiam ad ferendam obsidionem: re cognita Imperator Romam quantis potuit itineribus reuersus, Crescentium in vrbe obsessum cepit, & vili iumento facie auersa impositum circumduxit per vrbem, tandemq; longo cruciatu laceratum, ad portam cum duodecim alijs seditionis socijs suspendit: Iohannem Placentinum naso truncatum & exoculatum præcipitauit de Capitolio: cæteros Senatores consiliorum & molitionum Crescentij conscios, exilio mulctauit, deportatos in Saxoniam.

Ex his seditionibus sumta occasione, cum Gregorium restituisset, decretum fecit Pontifice assentiente, idq; faciente & promulgante: vt in posterum ius omne atque potestas eligendi Romanum Imperatorem esset apud solos Germanos, nec liceret Romano Pontifici quenquam proclamare Imperatorem, nisi quem proceres Germaniæ ad id fastigium euexissent.

Huius constitutionis sine dubio causas habuit grauissimas. Meminerat enim, quanta inter Francos de Imperio orbis Christiani bella extiterant: quoties-

maio-

maiores ipsius cum ijsdem de eodem decertârant: quoties non Imperatores, sed tyrannos mutârit Italia, & quantis fuerit iniurijs ac direptionibus Græcorum ac Saracenorum obnoxia, Germanorum defensione ac præsidijs destituta nec quieturos norat Francos tantisper, donec aliqua de Imperio spes supereſſet, quos omnibus in hiare occasionibus retrahendæ ad se Monarchiæ didicerat.

Meminerat etiam, quomodo ex perniciosis de Imperio contentionibus creuerit tyrannis & potentia Pontificum Romanorum, & licentia Principum Italiæ: & similia multò magis in posterum conaturos animaduertebat post auulsam à Germanis Franciam, memoria veterum bellorum inter se commiserant, donec Longobardi superati cum spe Imperij regnum suum perdiderunt.

Præterea intelligebat, orbi Christiano necessariam fore Germaniæ & Italiæ coniunctionem contra imminentem vim externam à Græcis, Saracenis, Henetis, Vngaris, Turcis, quorum tunc in Asia crescebat potentia: præsertim si vtramq; teneret Imperator ex gente bellicosa & potente, qui non tantum Germaniæ & Italiæ defensor esset, sed etiam præcipuus inter Reges orbis Christiani publici consilij Princeps, & cæterorum Dux in tuendo pio consensu Ecclesiarum, & in reprimendis barbaris gentibus quibus Italia à vicinis deserta semper fuerat impar.

Hanc

Hanc coniunctionem effici posse firmariq; videbat, cum animorum etiam inter se mutuo coalitu, non aliter quàm si certis legibus Germani imperarent, Itali parerent, quibus ad imperandum vires deerant ac nerui.

Deniq; nec finem fore seditiosarum conspirationum superbæ gentis Italicæ contra quemcunq; Imperatorem, digladiationumq; inter ipsos Italiæ Principes de Imperio, aut irruptionis peregrinarum gentium assiduæ: nec reprimi aut prohiberi contentiones de eodem ac certamina alibi, nec Francis spem recuperandæ Monarchiæ adimi nec Germanis, quod sua virtute acquisiuerunt, ἀξίωμα Imperij confirmari aliter posse prospiciebat, nisi hoc obtineretur, vt nec alijs quàm Germanis, nec aliunde quàm ex Germanicis familijs, Imperatorem creare liceret. Ad externos enim hostes terrendos, & in metu atq; officio continendam Italiam: deniq; ad stabilitatem ac firmitatem Imperij vendam, hoc fore accommodatissimum videbat, si certò constaret, Imperatorem non aliunde expectari oportere, quàm ex vicina gente Germanica, quæ exteris gentibus bellica virtute, successibus & potentia, magnum terrorem incusserat, & axioma Imperij Francis eripuerat, & Italiam recens magnis terroribus ac periculis liberârat.

Has existimo OTTONEM habuisse causas consilij de transferenda omni potestate eligendi Imperatoris Romani in solos Germanos: quo perfectum

est,

est vt possessio Imperij apud Germanos perpetua fuerit inde vsq; ab OTTONE, nec propagata sit successione, sed tradita iudicio electis, & vt ordines Germaniæ non tantum Regem Germaniæ, sed imperatorum Romanorum, & orbis Christiani designarint. Pontificibus non est plus relictum iuris aut potestatis ab OTTONE, quàm habuerunt antea beneficio & concessione CAROLI Magni, qui à Romano Episcopo renunciationem Imperatoris solennem, id est electiones aut decreti legitimè facti promulgationem fieri voluit, qua notum fieret orbi Christiano, hunc Imperatorem ritè electum esse. Non enim tradit hac renunciatione Pontifex Imperium electo: sed profitetur ac testatur huic ab ijs, penes quos est potestas electionis, curam & gubernationem orbis Christiani impositam esse atq; commendatam: idq; facit non iure diuino, sicut adulatores Pontifici impudenter commiscuntur, sed concessione, vt dixi, imperatorum.

Ad hanc tamen renunciationem non est alligata potestas imperatoris, sed ad suffragia & sententias eorum, à quibus confertur. Confertur autem OTTONIS decreto atq; instituto à Principibus Germaniæ, qui hoc eis ius & potuit tribuere, & rectè tribuit, tanquam verus Monarcha, Occidentis & Italiæ dominus. Nec magis tradit imperium electo Pontificis vox & consecratio, quàm consulatum tradebant successoribus Consules Romæ magistratu abeuntes, cum ad populum de creatis à Senatu Consulibus

bus referrent. Et valdè consentaneum est, vel in eum præcipuè finem Ottonem hanc constitutionem voluisse facere, vt inijceret frenos Tyrannidi Pontificum. Meminerat enim, quanta hi perfidia dissidia excitârant & aluerant in orbe Christiano, quoties et quanta immanitate attractis in Italiam interq; sese commissis peregrinis gentibus, patriam cædibus ac sanguine compleuerant, vt vel cupiditates explerent suas, vel tollerent quos officere ijs rebus experiebantur quas moliebantur: denique qua ambitione quos vellent accerserent, quos odissent vel repellerent vel deponerent.

Illorum verò detestanda est impudentia, qui Pontifici collocato supremo loco inter Principes orbis Christiani & armato potestate summa, subijciunt Imperium & regna cætera, autoritate vt nonnulli contendunt diuina: vt cæteri modestiores humana, scilicet concessa ab Imperatoribus: quorum illud expresse prohibitiones diuinæ, ne ministri Ecclesiæ rapiant vel vsurpent potestatem politicam: hoc historiarum consensus redarguit atq; refutat.

Primùm de Ecclesia certissimum est, regnum CHRISTI non esse politicum, sed spirituale, sicut inquit Christus: Regnum meum non est ex hoc Mũdo. Nec colligitur & gubernatur Ecclesia aliter, nisi voce & ministerio verbi & Sacramentorum. Filio Dei per verbum & Sacramenta effundente Spiritũ sanctum in corda credentium. Nec caput est Ecclesiæ

aliud

aliud nisi Filius Dei, vt sic vocatur κεφαλὴ καὶ ἀρχηγὸς τῆς ἐκκλησίας.

Deinde non modò non concessum est permissu diuino ministris Ecclesiæ inuadere quocunq; prætextu regna Mundi: sed seuerissimè interdictum. Nota sunt testimonia plurima. Iohannis viceſimo: Sicut misit me pater, ita ego mitto vos. Cumq; hæc dixisset, insufflauit & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt. Hoc testimonio disertè exprimitur, ad quas res sancitum sit ministerium.

Marci cap. decimo, Scitis, quia hi, qui videntur præesse gentibus, dominantur eis, & Principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis: Sed quicunq; voluerit fieri maior, erit vester minister: Et quicunq; voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus. Nam filius hominis non venit, vt ministraretur ei, sed vt ministraret, & daret animam suam redemtionem pro multis.

Lucæ 12. Quis me constituit iudicem inter vos?

2. Corinth. 10. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei, redigentes in captiuitatem omnem intellectum in obsequium Christi.

1. Corinth. 4. Sic nos æstimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum eius.

2. Corinth. 1. Non dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri. Nam fide statis.

2. Co-

2. Corinth. 5. Euangelium est ministerium Spiritus. Ex his omnibus manifestissimum est, non pertinere ad Pontifices Imperia politica: cumq; ea rapuerunt, fecisse eos contra vocationis suæ leges diuinitus præscriptas. Et quidem si conferant Ecclesiam, quam suis condiderunt decretis post HENRICI Quinti tempora, ad Ecclesiam primorum annorum quingentorum proximè à Christi ascensu ad cœlos: quomodo hæc ad illam congruat reperirent: quanquã non ignorant hoc, neque ignorare possunt. Sed non est eis religio curæ, verùm confirmatio suæ Tyrannidis, quæ nititur Idolatria, superstitionibus & abusibus.

Alterum figmentum euidentissimè redarguunt historiæ vtræq; Ecclesiasticæ & politicæ. Sed omissis vetustioribus, quarum iudicio manifestè condemnantur, ex recentioribus paucula summatim referam. Prorsus non est dubium, Pontifices ita fuisse subditos IMPERATORIBVS, vt nullius sit rata habita electio, quam Imperator non approbasset: cumq; adhuc HENRICO Tertio imperante tria portenta contentione ambitiosa de Pontificatu turbasset vrbem Romam, Imperator depulsis & duriter castigatis omnibus his, alium suo iudicio constituit, renouata vetere lege de Pontificum electione. Hoc iugum cum impatienter ferrent, nec amoliri à sese vi manifesta possent, excusserunt id tandem arte, concitatis in Henricos Quartum & Quintum fraude Germanicis Principibus

 cipibus

cipibus, vt suo dicetur loco: Quibus suffectus Lotharius postulatis Pontificum assensit. Ita hi tùm sese subtraxerunt potestati Imperatorum, de qua maiores acriter pugnârant, contra ciues Romanos, constituto Senatu Cardinalium eligi vt Monarchæ voluerunt, & paulatim iura Imperatorum conuellendo ac labefactando, vrbi Romæ etiam dominari cœperunt.

Hoc cum perfecissent, postea aliud maius aggressi sunt, vt quibus ipsi paruerant antea, hos sibi subijcerent. Ante Saxones, cum stirps Carolina rerum potiretur, patres ex filijs quos volebant creabant & nominabant Imperatores: idem fecerunt Saxones ad Imperij fastigium euecti: etsi iam tum à deliberationibus de Monarchia et suffragiorum iure cæteri Principes excludi voluerunt. Post OTTONIS constitutionem etiam cum à parentibus filij summæ rerum præficerentur: oportuit tamen accedere consensum cæterorum ordinum omnium. Sed hi non Regem tantum, sed Imperatorem crearunt, cùi, quæ sunt Imperatoris propria, tribuerunt vniuersa, sicut testatur sancti FRIDERICI Barbarossæ & historiarum consensus. Hanc ergo Principum Germaniæ autoritatem & potestatem, cum euersam cuperent Pontifices, sed labefactare nec vi nec dolo possent, finxerunt impia & in DEVM contumeliosa audacia, diuino mandato Pontificij iuris esse constitutionem & translationem Imperij: qua de re multa extant Impu-

Impudenter condita & defensa decreta, quæ recensere non est opus, cum nota sint vulgo. Isto figmento tum sese armassent, nihil non postea tentarunt. Nam & iuramentis peculiaribus Imperatores obligârunt, quorum extat formula in Clementina: & ausi sunt ab Archiepiscopo Moguntino postulare sub iuramento, quod Pium Secundum fecisse ex recentibus historijs constat, ne, nisi consulto & consentiente Pontifice, ad electionem Imperatoris Electores conuocaret.

Innocentij Tertij epistola, etsi reliquit ius & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum, ijs Principibus, ad quos iure & antiqua consuetudine pertinet: tamen Pontificibus arrogat autoritatem ac potestatem ijsdem tradendi confirmandiq; Imperium, ijs de causis, quòd Romanus Pontifex, & CAROLVM primum axioma transtulerit à Græcis, & Principibus: Germaniæ hanc facultatem concesserit: Quæ omnia falsa esse sæpe ostendimus. Quid tribuere enim alteri potuerunt Pontifices, de quo nec diuina vlla, nec humana mandata acceperunt vnquam? Quæ enim iactare mandata aut quas concessiones possunt, reuicti & condemnati voce CHRISTI & historiarum euidentibus testimonijs: CAROLVM iure belli & transactionis Imperium Occidentis occupasse: OTTONEM potestatem electionis Principibus Germaniæ tribuisse autoritate sua, id est, Imperatoria, quam à vario consensu ordinum acceperat, belliq; iure confirmâ-

rat. Pontifices vtrique subditos, vtriusq; autoritate creatos, sacrorum tantum curam egisse, & ab omni tali gubernatione, qualem posteriores superbia & ambitione instituerunt, abstinuisse, euidentius est quàm vt longa indigeat ex historijs demonstratione.

Illa verò mentio de promouendo Rege electo in Imperatorem, si concedit conferri in electum potestatem omnem, quam maiestas Imperatoria complectitur, sententijs suffragantium, sed titulum vult deceni tribuiq; à Pontifice solo, vt non liceat hunc electo vsurpare ante proclamationem Pontificis: lis est de iure nominis seu tituli, non de iure rei: Quod ipsum tamen, vt planè stolidum & ridiculum est, sic si tueri id volent, vt, à quo ante Carolum acceperint, ostendant necesse est. Quos verò producent autores, Deumne vt faciunt, an verò Imperatores Orientis? Sed refragatur vox diuina, quæ politicam Episcopis potestatem omnem denegat. Imperatores Orientis ius suum Carolo, cum bello Italiam subegissent, non Pontifici, concesserunt.

Post CAROLVM verò, si retexantur historiæ veteres, reperietur, neq; hoc consilio & fine CAROLVM à Romano Episcopo renunciationem fieri voluisse, vt quod beneficij esset, in ius verteretur certum atq; potestatem: neq; si autoritas atq; potestas Imperij confertur eligentium sententijs, vsum tituli pendere voluisse ex collatione Pontificum: denicq; ante renun-

renunciationem à Pontifice factam, Imperatoris titulum LVDOVICO Pio ac Lothario tributum esse. Et qualis est superbia contendere de iure conferendi titulos, cum rem titulorum, id est, dignitatem & potestatem Imperatoriam conferant alij: Maiestatem ac felicitatem successumq; in gubernatione præstet solus Deus.

Neq; est obscurum, quibus occasionibus hunc etiam rapuerint nescio qualem prætextum tyrannidis, quam semper affectârunt. Ante dissidia & contentiones inter posteros CAROLI Magni Patres, vt CAROLVS, LVDOVICVS Pius, Lotharius, ex se natos appellabant Imperatores, non vsurpata adeo declaratione lingua Pontificum: etsi huius decreti Imperatorum quasi præcones publicos esse volebant Pontifices Romanos. Postea disceptantibus de Imperio et Italia Germanis & Francis, Carolus Caluus Francorum Rex metu Germanicæ potentiæ, Italia præoccupata Imperator appellari voluit à Pontifice, quòd huius artibus se Italiam obtinere posse arbitraretur. Hoc exemplum successores verterunt in ius, vt cum nulla re alia, vel sola autoritate conferendi titulum Imperatores obstrictos habuerunt.

Honestissimum est ac pijssimum, fieri renunciationem Monarchiæ orbis Christiani in magna frequentia publica solennibus ritibus, cum ardenti ac seria precatione ad Deum pro re omnium in genere humano

mano maxima, pro salute totius orbis Christiani, pro incolumitate ac felicitate illius, cui cura, gubernatio, protectio at defensio Ecclesiæ & Reipublicæ commendata est, cuius saluti singulorum salus est inclusa. Sed hoc ius cur Romanus Pontifex sibi vendicat præ alijs, quod nec diuino nec humano iure vllo, sed consuetudine tyrannica suum fecit? De Deo scriptum est, quòd transferat Imperia Mundi: De ministris Ecclesiæ aliter præcipit Scriptura, quos non vult administrare regna politica. Sed posset ei concedi ius renunciandi propter CAROLI exemplum, si non ex eo falsò fingeret aliud commendicium ius, quo stabiliendæ tyrannidis suæ causa, ad suam vocem ita alligat Imperatoris autoritatem, vt sine ea nullam esse contendat: deinde si ad renunciationem vsurparet atq; adhiberet non inanium Ceremoniarum theatrica spectacula, quæ sunt vmbra sanctissimi & laudatissimi ritus veteris: sed preces veras & serias, quibus Deo Patri æterno Domini nostri Iesu Christi Ecclesiam Christi & Rempublicam commendaret: deniq; si id daret operam, vt Imperatoris autoritate emendarentur vitia doctrinæ & rituum superstitiosorum in Ecclesia, & consuleretur cum tranquillitate pubica saluti animarum.

Vtut verò se res habeat, constitutio OTTONIS à cæteris gentibus ius eligendi Imperatorem Romanum transfert in solos Germanos ea conditione, vt assumatur natus in familia Germanica, nec admittantur exteri & peregrini: quod seruatum est deinceps ea lege, vt vel nominaretur Francorum veteri consuetudine à Patre filius, qui, si accederet consensus & approbatio ordinum Imperij, succederet, vel sine alicuius indicatione fieret electio, libera deliberatione & suffragijs ordinum. Hoc decretum quo anno factum sit non traditur, sed non multò ante mortem Ottonis factum esse narratur: qua in re flagitiosa scriptorum negligentia detestanda est, vt in plerisque alijs rebus maximis. Scribit Abbas Vrspurgensis Ottonem Tertium mortuum esse anno millesimo primo, quinto Calendas Februarij: Blondus annotat decretum de electione IMPERATORIS sancitum esse biennio ante: & consentaneum est deliberationem de re tanta non fuisse subitam, præsertim cum secum in Italiam adduxerit Pontificem, quem huic rei perficiendæ ex composito idoneum fore norat.

Sed maior hîc oritur quæstio, quibus scilicet ordinibus in Germania potestas electionis ab OTTONE sit attributa: & an certis sit ordinibus attributa, an verò nulli fuerint certi designati Electores, sed paria suffragia habuerint omnes? Recentiorum scriptorum plærique Senatum septem Electorum, qui nunc est, trium nimirum Episcoporum, Moguntini, Coloniensis, Treuirensis: quatuor Principum politicorum, Palatini ad Rhenum, Ducis Saxoniæ, Marchionis Brandeburgensis, & Regis Bohemici, tradunt

institutum esse ab OTTONE: Nonnulli & causas addunt, cur in Senatum, Palatinum ad Rhenum & Marchionem Brandeburgensem cooptârit, præteritis agnatis, qui de ipsius familia reliqui erant: Item, cur Ecclesiasticos numero æquârit politicis, & addiderit vtrisq; velut arbitrum ac disceptatorem Regem Bohæmiæ, si qua dissensio incideret.

Huius constitutionis autor an fuerit OTTO, vt multi dubitent, non leues sunt causæ. Si euoluantur enim & diligenter expendantur, quæ de Imperatorum rebus gestis extant literis monumentisq; vetustioribus prodita ante interregnum, quo post FRIDERICVM Secundum & CONRADVM eius filium, atq; eas quæ exortæ sunt de Imperio concertationes & in electione dissentiones,, Imperium annos amplius octodecim certo gubernatione caruit, Principum alijs nouo exenplo contra leges veteres Alfonsum Hispanum, alijs Richardum Anglum ad Imperium deposcentibus: illa ergo si perlustrentur, nulla reperietur mentio vel horum septem Electorem, vel inter ordines, qui Imperatorem crearunt, Patatini ad Rhenum, Marchionis Brandeburgensis, & Regis Bohemici, qui regiam dignitatem ante HENRICVM Tertium non habuit. Sed scriptores plærique veteres vno consensu meminerunt cunctorum ordinum Imperij: Ne certos nominant, nec cæteros à communi deliberatione & suffragiorum iure excludunt: etsi dum stetit

stetit & floruit Imperij maiestas, sæpe potentia plus valuit & autoritas, quàm consolationes & calculi suffragantium, Nam ferè potentiores familiæ in Imperij possessione semel occupata consensu ordinum, ita sese munierunt, vt neq; excuti inde facilè potuerint, neq; oppresserint tamen cæteros tyrannicè: sed tùm etiam, cùm petierunt filijs Imperium decerni, rem totam permiserint arbitrio ordinum, quorum ferè pars maxima ijs, quorum virtutem, sapientiam, autoritatem & felicitatem perspexerat profuisse patriæ, posteæ sententia, voluntatibus & studijs sese adiunxit: donec æmulatio, quæ fuit inter Francos & Saxones, post reuolutum morte HENRICI Sancti Imperium in Francos, in bella ciuilia erupit, Pontificum impulsu potissimum, quorum finis fuit nullus, dum ex vtraq; stirpe aliquis fuit reliquus.

His familijs mutua cæde consumtis, cùm in earum loca aliæ nouæ successissent, in magna Germaniæ parte, quarum nec magnæ nec consummatæ erant vires, creuit potentia & autoritas Sueuorum, inclinantibus ad eos Imperium cæteris tanquam ad potentissimos: quibus quanquam grauiter aduersaretur Henricus Lotharij gener, qui, quòd recens soceri beneficio cum Bauaria Saxoniam coniunxisset, magnas habebat vires: frustratus tamen spe sua, non tantum Imperium, sed & potentiæ partem præcipuam amisit, vincente Sueuorum fortuna, quibus Deus, cum vellet eos euectos ad hoc fastigium successi-

bus

bus autoritatem adiunxit. Ijs etiam delctis fraude & perfidia Pontificum, talis horum artibus & machinationibus excitata est in Germania voluntatum distractio, & Imperij labefactati perturbatio, vt dissidiorum magnitudo non facilè aliquem venisset, consistere in eo sit passa, & aduocati sint domini peregrini, qui tamen præter nomen inane consecuti sunt aliud nihil.

In his motibus ac perturbationibus sæpe plus Episcopos reliquos potuisse, itemq; Principes, quàm hos apud quos potestas eligendi nunc est, historiæ docent: vt omnino quibus legibus, quo numero, quoue orne in electione sententias dictæ, & lata sint suffragia, certò nequeat ostendi.

Post FRIDERICVM secundum & numerus septenarius exprimitur crebroq; repetitur, & familiæ indicantur suffragantium. Etsi verò quòd certò affirmem non habeo, moueor tamen historiarum annotatis, vt sub Sueuorum Imperio numerum suffragiorum in electione ad septenarium redactum esse horum autoritate, consilio & opera, & ex consuetudine antiqua id ipsum cæpisse atq; extitisse, conijciam. Nam valdè consentaneum est, in tanto procerum numero, tùm etiam obseruatum esse, quod nunc in vsu est, vt cum de rebus arduis deliberandum aliquid esset vel decernendum, deligerentur ex singulis ordinibus aliqui antecellentes autoritate, potentia & sa-

& sapientia, qui vel προβαλεύματα facerent, quæ cæteris in deliberationem proponerentur, vel quod à cæteris iam consultatum atq; in omnem partem pensitatum esset, concluderent, exigente id salute publica & necessitate: cum & ambitione nonnullorum, & Pontificum artibus, sæpe consultationes aut turbatæ essent aut prorogatæ, cum graui detrimento Reipub. Hujus consuetudinis cùm alia reperio argumenta, tũ hoc, quòd expressè tradunt historici, HENRICOS patrem & filium, Superbum & Leonem, qui ad Imperium aspirarunt, hoc prætextu oppugnasse electionem Conradi & Friderici Barbarossæ, quòd non cunctis suffragijs, sed autoritate paucorum decreta esset, qua illos armârat consensus cæterorum, qui HENRICOS propter potentiam & fastum imperare nolebant. Quod verò consuetudinis fuit, id iuris esse cæpit, antecedente non comprobatione tantum, sed ordinatione & constitutione Imperatorum: de qua etsi mandatum literis nihil reperio, tamen vt eam Sueuis tribuam, moueor cùm expressa septem Electorum mentione post horum Imperium: tùm mutatione dignitatum, quæ & antecessit hos, & ab ijsdem facta est: & multò maximè immani in hos Pontificum sæuitia ex fastu plus quàm diabolico profecta, quæ coëgit Principes optimos & patriæ amantissimos cogitare de aliqua ratione, qua Pontificum Tyrannis coherceretur, & afflicta

flicta Imperij maiestas fulceretur ac confirmaretur.

Habuerunt bella HENRICORVM *Quarti & Quinti exitum talem, vt veteres Francicas & Saxonicas familias penè extirpârint, & auxerint Pontificum Tyrannidem, nimium his indulgente* LOTHARIO, *qui quidem & generum* HENRICVM SVPERBVM *euexit, adiectione totius Saxoniæ auctum propter successionis spem, & alterum generum* LVDOVICVM *Comitem prouincialem Turingiæ constituit. Opes Francicas diripuerunt,* IMPERATOR *auulsa Hassia, & Episcopi vicini, quarum partem bonam rapuit Vuirceburgensis cum titulo Ducum Franconiæ,* CONRADO *Tertio Imperatore mortuo, cui eum concesserat* HENRICVS *Quintus. Sueuiæ Ducatus cesserat* FRIDERICO *in Hohenstauffen: Misnensis Marchia Thymoni, Marchioni Landsbergensi, Brandeburgensis Alberto Viso Comiti Ascaniæ in Ballenstet & Soltuuedel.*

Cùm verò pòst LOTHARIVM HENRICVS SVPERBVS CONRADVM, HENRICVS LEO SVTERBI *filius* FRIDERICVM *Barbarossam, grauiter aliquandiu exagitassent, & suæ inuidentiæ ac superbiæ & Pontificum instinctu, quibus cum conspirârant:* FRIDERICVS, *postquam* LEONEM *omni principatu exutum pepulisset in exilium, Bauariam cum Pala-*

Palatinatu ad Rhenum OTTONI *Vuitelsbachio: Saxoniæ partem cum Ducis titulo Bernhardo Anhaldino Alberti Vrsi filio, vtriq; propter egregiè nauatam in bello operam attribuit.*

Post has mutationes conijcio, vel hunc Friderituum, vel posteros, penè coactos memoria veterum contentionum de Imperio, & recens perpessæ à Pontificibus iniuriæ, cum oportunas occasiones attulissent consuetudo vetus & hæ ipsæ mutationns, rationem iuisse, qua consulerent tranquillitati Germaniæ & dignitati Imperatorum tot modis à Pontificibus impugnatæ: quod propter duas causas præcipuè factum esse res ostendit, & considerata historiarum veritas euincit. Primùm vt tollerentur incommoda quæ ex suffragiorum multitudine & diuersitate, oriri ac prouenire consueuerant, quæq; ruinam Imperio attulerant: sicut fieri solet, cum in magna suffragantium dissimilitudine sententias dicunt, alij affectu magis quàm iudicio, alij ambitione, alij conducti mercede & precio, alij factionum studio, alij spe maiorum opum & dignitatum ex ruina & interitu meliorum, sicut dicitur veteri versu:

ὧν δὲ διχοστασίῃ ἦ πάγκακος ἔμμορε λαός:

Quales multi sunt semper, quibus bello ciuili opus est. Quas clades enim perpessa sit Germania ex dissensionibus obortis de electione HENRICI *Sancti &*

Con-

CONRADI Saliqui: quas ex conspiratione Saxonum in HENRICVM Quartam, qui primò Rodolphum Sueuum, & hoc cæso Hermannum cognomento Knuffloch Lucemburgi Comitem, tandemque filios Conradum & Henricum, Ecbertum & Marchionem Saxoniæ, HENRICO opposuerunt, quas expugnatione Sueuorum ab HENRICIS Bauaris patre & filio, in recenti versatum est omnium memoria.

Deinde propter Pontificum sceleratam perfidiam, qui per has occasiones toties cum Francis Saxones commiserant, & Sueuos crudelem in modum exagitârant, & Germaniam inteſtinis bellis toties perturbârant, cum quos audissent aut ad Imperium non admitterent, aut si id obtinuissent, quando vellent excuterent. Vt ergo Tyrannis Pontificia his velut metis constringerentur, & amputarentur occasiones turbandi publicas deliberationes, constitutum fuisse omnino mihi persuadeo sapientissimo ac grauissimo consilio, vt suffragantium numerus contraheretur in pauciores, quod eò fuit facilius factu, quia alia & penè noua Germaniæ discerptæ, exhaustæ & enerua-tæ fuit facies, alia ordinum distributio: aliæ familiæ in priorum vestigia succesſerant, quarumquædam nouæ erant, quædam de veteribus reliquiæ ex obscura conditione & humili rursus exercuerant & incliruerant.

E conuerso de ordinibus Imperij hoc quoq; consenta-

neum est, quòd huic constitutioni ideo libentius assenserint, quòd intelligerent, Electores Imperatoribus adiungi, non aliter quàm in regno Persico Senatus septem Principum, aut in Republica Spartana Ephori Regibus fuerunt adhibiti, qui moderarentur potentiam Imperatoris, regerent consilia, reprimerent conatus iniustos, & custodes essent publicæ dignitatis ac libertatis, prouiderentq; ac perficerent, ne vel cresceret nimium potentia vnius, vel ne quid Respublica detrimenti caperet, si nimium extolleretur autoritas vnius. Quæ enim ante determinatam ac velut circumscriptam his metis ac legibus potestatem Imperatorum Germania pertulerit sub Saxonibus & Francis, qui multa suo arbitrio & libitu sine consilio cæterorum constituerant ac mutârant, non ignorabant.

Sed dolendum est, adeò de hac tanta re nihil vllorum scriptis expositum esse, vt vel quorum autoritate & consilio, vel quibus de causis, vel quo tempore grauissimus septem Electorum Senatus primum sit constitutus: vel cur in hunc Senatum hi ipsi asciti sint, & non alij, nec plures, nec pauciores, vix coniecturis explicari possit: nisi quod autoritate moueor in Ecclesiasticis, quæ inde vsq; à principio Imperij maior fuit apud istos tres Episcopos, quàm cæteros: potentia in politicis, qua post Monarchiam Sueuorum Palatinus ad Rhenum, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandeburgensis superarunt cæteros, quorum nullus fuit, qui his com-

compareretur. Marchiones Austriæ potentiam tunc habebant imbecillem, quæ postea creuit accessionibus nouis. Ducum verò Brunschuicensium ac Luneburgensium vires valdè attriuerant ac diminuerant bella Suevica.

Fortasse autores huius consilij, vt ex politicis Principibus hos assumerent, præter potentiam id etiam mouit, quòd cum deliberatio de Imperatore eligendo pertineat ad omnes ordines, & debeat esse communis, sicut fuerat antea, conueniat ex singulis Imperij ordinibus adhiberi vnum, quòd de causa ad omnes pertinente, oporteat esse deliberationem communem, iuxta versum Apollonij: ξοίνυ γὰρ χρεὼ, ξοιὴ δὲ τε μῦθοι ἑασιν. Ideo ne vllus ordo se præteritum vel excluſum esse posset quæri, voluerunt ascribi in Senatum Electorem vnum ex Regibus, vnum ex Ducibus, vnum ex Marchionibus, vnum item ex Comitibus, qui præ cæteris eminuerunt opibus, autoritate & rabore.

De septenario numero verisimile est eosdem respexisse ad consuetudinem regni Persici, vel quòd voluerunt numero exæquare Politicos Ecclesiasticis, & vtrorumq; arbitrum esse septimum, qui regia autoritate antecelleret omnibus, Quod verò Bohemiæ Rex cæteris prælatus est, eius rei causas postea exponam: etsi & vicinitatis & amicitiæ atq; confœderationis, & non magnæ potentiæ, quæ non esset formidabilis, nec grauis futura Imperio, rationem habitam esse existimo.

De

De tempore sunt, qui constitutos septem Electores tradunt, sub Pontificatu GREGORII Decimi, paulò antè Imperium RVDOLPHI Habspurgensis, persuasi cùm alijs coniecturis, tùm quòd circiter eadem tempora Senatus Cardinalium in Italia esse cœpit, & huic leges in Pontificum electione obseruandæ descriptæ sunt. Sed vetustiorem esse non est dubium.

Siue ergo hoc GREGORIO, siue quocunq; alio ex successoribus, hæc septem Electorum constitutio facta est, si qui mirabuntur, cur Pontifices, cum in tolerando abusu iniustæ & impiæ tyrannidis imperatores ipsos, & cætera horum instituta atq; decreta, eo in tempore non tantum oppugnarint, sed etiam contulcarint: cur huic non sint aduersati constitutioni, quam sine dubio intellexerunt suæ tyrannidi offecturam esse: ijs veniat in mentem, quòd non aliam ob causam id fecerint, nisi vt hac seu concessione seu conniuentia vicissim in præsentia obtinerent, ne quam tùm moliebantur institutionem noui Senatus Cardinalium, quo munituri erant in confirmata & instructa Monarchia potestatem electionis Pontificia Imperatoribus recens exortam: ne ergo illam Principes Imperij vi & armis impedirent atq; eliderent. Nam quibus artibus huius etiam Senatus autoritatem conuellere studuerunt deinceps, docent historiæ Ludouici Bauari & aliorum.

Etsi ergo nec quibus autoribus institutus sit, nec quando esset cæperit Senatus septem Electorum, certis argumentis historiarum concludi potest: tamen nullam eorum fieri mentionem ante Sueuorum Imperium certum est. Secutus tandem CAROLVS Quartus ordines Imperij accuratius distinxit, & leges cùm Electoribus, tùm cæteris Principibus imposuit, etiam Imperatoribus ipsis, quæ extant comprehensa in ea formula, quam vocant Bullam auream, sicut infrà dicemus.

Sed DEO inprimis conditori Imperiorum, deinde OTTONIS Tertij sapientiæ, industriæ & virtuti debetur, quòd Germania occupatam semel possessionem Imperij huc vsq; conseruauit. Hac re perfecta OTTO redijt in Germaniam: inde profectus in Poloniam, Boleslaum Principem Poloniæ, amicum Imperij Romani & Regem salutauit, imposito tributo. Ab hoc Boleslao reliqui sunt Duces Silesiæ, qui nunc Lignitium & Bregam tenent. Cæpit ergo beneficio OTTONIS Tertij Polonia regnum esse. Eodem tempore Vngaria regni titulum vsurpauit, quem post OTTONEM confirmauit HENRICVS Sanctus.

Sub idem tempus regnum Franciæ deuenit ad HVGONEM Capetum, extincto LVDOVICO vltimo ex prosapia Caroli. Coincidunt ergo initia Monarchiæ in Germania, regnorum Vngariæ ac Poloniæ, & Principatus familiæ HVGONIS Capeti in Gallia: à quo tempore cum elapsa sit fatalis periodus annorum quingentorum, metuendum est his regnis omnibus magnas & fatales imminere mutationes, quas clementer Deus mitiget, & seruet aliqua Ecclesiæ hospitia, ne doctrina de Filio Dei, & inuocatio vera, honestæq; leges & studia prorsus aboleantur.

Tandem tumultuantibus Romanis præcipuè propter amissam omnem in feudis suffragijs, cum fieret electio Imperatoris, potestatem, OTTO Romam redijt postremò: & sedatis motibus, cùm in vxorem Crescentij, quem antea supplicio capitis affecerat, deperijsset, illa quòd Imperatore in Germaniam reditum parante, videret se spe coniugij excidisse, chirotecis veneno inuectis donatum eum necauit.

Decessit autem anno Christi Saluatoris primo supra millesimum: Anno Mundi quatermillesimo, nongentesimo, sexagesimo tertio: Anno Imperij decimo nono: quinto Calendas Februarij.

Cadauer in Germaniam deferri curauit Henricus Bauariæ Dux successor in Imperio, & intestina condidit Augustæ, quorum sepulcrum insigni marmoreo monumento ornauit FRIDERICVS Tertius Elector Saxoniæ: Reliquum corpus Aquisgranum delatum est. Princeps fuit ingenij, magnitudinis animi industriæ, consiliorum & sapientiæ argumentis summus: sed quem mors citius abripuit

quàm ex ætatis & iudicij maturitate de naturæ præstantia iudicium fieri exactum potuit.

Vxorem habuit Mariam Arragoniam, mulierem impudicæ & procacis libidinis, quam adulterij conuictam ad Mutinam vrbem viuam cremauit:

HENRICVS COGNOMENTO SANCTVS ET CLAVDVS.

OTTONE Tertio veneno extincto, ordines Germaniæ de recenti illius constitutione designarunt Imperatorem HENRICVM Bauariæ Ducem, sanguine Saxonem: patria Bauarum, OTTONIS agnatum, progenitum patre HENRICO Hezelone, auo HENRICO Rixoso, cui frater OTTO Magnus Bauariæ Ducatum tradiderat, exclusis, vt dictum est, ARNOLPHI Bauari posteris, quos Comitatu Schirnensi contentes esse oportuit. Natum scribunt HENRICVM Sanctum, anno Christi nongentesimo sexagesimo nono, & educatum atq; institutum in doctrina sacra & optimarum artium studijs in collegio Hildesiano, quod postea perceptorum beneficiorum memor locupletauit & amplificauit.

Cum Imperij administrationem suscepisset anno Christi millesimo secundo, primùm eos compescuit, qui electioni aduersati, ne consequeretur Imperium impedire studuerant, inter quos fuit Echardus Marchio Saxoniæ, neopes Ludolphi Ducis Sueuiæ ex OTTONE

TONE filio, pronepos OTTENIS Magni. Hunc interfecerunt Duces Saxoniæ fratres, LOTHARIVS & BENNO filij Hermanni primi Ducis. HENRICVM etiam Marchionem Austriæ ex prosapia Comitum Schirnensium res nouas molientem spe recuperandæ Bauariæ, & huic fauentem fratrem Brunonem Episcopum Augustanum, repressit.

Intestinis motibus domi sedatis, Henetos, qui repudiata fide Christiana, cui sese sub OTTONE Primo addixerant, ad præstinam Idolatriam redierant, & templa deleuerant trucidatis Episcopis, denuò domuit, & Episcopatús Mersburgensem, Misnensem, Magdeburgensem, barbarorum armis dirutos ac deuastatos instaurauit, nouisq; donationibus auxit: Præcipuè verò Mersburgensem locupletauit, cui attribuit maximam partem Comitatus Mersburgensis, post mortem Esici Comitis, quod factum scribunt, Anno Christi millesimo septimo, postquam bellum Bohemicum confecisset. Nam Henetis domitis, Boleslaos duos, alterum Bohemiæ Ducem, alterum Poloniæ Regem noui Imperatoris autoritatem aspernantes, bello adegerat ad obedientiam præstandam & vetera pacta tuenda.

Eodem anno Rinoldo Comite Bambergensi, qui filius fuit HENRICI Comitis, sine masculæ prole extincto condidit Episcopatum Bambergensem, quem ita muniuit, vt præcipuos omnes Germaniæ Prin-

tipes huius Episcopi vasallos esse, & ea fide, quæ Domino feudi debetur, huic obligatos esse voluerit. Ex ea constitutione adhuc hodie Electores Imperij vasalli sunt Episcopi Bambergensis, quæq; illi Electorum nomine & titulo tenent, ab eodem eis vt feuda conferuntur.

Habebat Imperatoris HENRICI coniunx Cunegunda fratres plures: FRIDERICVM Ducem Lotharingiæ ad Mosellam fluuium: Henricum, cui Imperator dedit Ducatum Bauariæ. Theodoricum Episcopum Metensem: & Adelberum, qui tunc ambiebat Episcopatum Treuirensem. Ex his Henricus & Theodoricus conspirârunt in Imperatorem, quòd dotem Cunegundæ sororis, qua sese illa mortua sperabant potituros, distribueret ociosis sacrificulis: & adiuncto sibi Guelpho Principe in parte Sueuiæ: bellum ei intulerunt, occupata primùm Augusta, & pulso inde Brunnone Imperatoris fratre. Sed Imperator acie victos disiecit ac dissipauit, & Henricum Ducatu mouit, quem paulò pòst in gratiam receptum restituit: Theodoricum expugnata Metensi vrbe, ad deditionem coëgit.

Interea Stephanus Vngariæ Rex miserat Legatos, qui peterent in vxorem Regi suo Giselam sororem Imperatoris, quam despondit illi ea conditione, si suscepto baptismo accepturum se professionem Christianam, & in hac perseueraturum promitteret:

teret: Quod ille cum fecisset, & coniugem impetrauit, & vt regni titulus ei confirmaretur, obtinuit. Ab hoc Stephano, qui cognomentum Sancti à religiosa in fide Christiana perseuerantia adeptus est, religionem Christianam in Vngariam introductam posteri sanctè retinuerunt & coluerunt huc vsq;.

HERMANNO Sueuiæ Duce mortuo, Ducem Sueuis dedit ERNESTVM Priuignum HENRICI Marchionis Austriæ, maritum Giselæ consobrinæ ipsius: quam scriptores tradunt primò nuptam fuisse Brunoni Marchioni Saxoniæ, auo ECBERTI fundatoris collegij Naumburgensis: deinde huic ERNESTO Sueuo: tandem CONRADO Imperatori. Hanc Giselam aliqui Francam fuisse perhibent LOTHARII filiam ex CAROLI Magni posteris: aliqui originem eius ex Henetorum stirpe deducunt. ERNESTVM ipsum scribunt nepotem fuisse ALBERTI Comitis Bambergensis, quem suprà retulimus à LVDOVICO Tertio ARNOLPHI filio capite plexum esse. Aliqui volunt filium fuisse eum HERMANNI Ducis Sueuiæ ex Gerbirga filia CONRADI Regis Burgundiæ. Hoc constat, quòd non multò pòst adeptum Ducatum Sueuiæ à quodam Comite Alberone in venatione confossus sit, anno Christi millesimo, decimo quarto: quòd aliqui casu, ictu scilicet aberrante, dum feram petit: aliqui consultò, scilicet in gratiam

CONRADI Imperatoris, in quem arma mouerat, factum perhibent.

Rebus in Germania constitutis Imperator suscepit profectionem cum exercitu in Italiam. Huius profectionis causæ fuerunt tres: Prima vt possessionem Imperij Italia occupata Germanis confirmaret: Secunda, vt Arduinum Marchionem, quem Episcopi & nobiles Italiæ Mediolani Imperatorem declarârant, opprimeret: Tertia, vt in Italia tumultuantes Græcos & Saracenos compescret ac depelleret. Ingressus in Italiam Arduinum duobus magnis prælijs victum trucidauit. In eo bello captum Henricum, et cùm deceptis custodibus elapsus de muro se præcipitasset, luxato fractoue crure postea claudicasse scribũt: vnde cognomentum Claudi habuit. Post hanc victoriam renunciatus est Imperator Romæ à Benedicto Pontifice: inde versus Apuliam & Calabriam directis aciebus, Græcos pariter & Saracenos adornatus est, qui, dum contenderunt inter sese de vlterioris Italiæ Imperio, interea non pepercerunt ijs, qui erant Romani Imperatoris. Apuliam & Calabriam adhuc tenebant Græci magna ex parte: etsi aliquam partem ademerat eis recens sub OTTONE Tertio Guilhelmus Normannus cognomento Ferrabachus, natus patre Tancredo, de quo postea dicemus: partem aliam vexabant continuis direptionibus & populationibus Saraceni. Vtrosq; ergo afflictos Imperator compressit in Italia. Troiam vrbem Apuliæ, quam Græci mu-

ci munierant, expugnatam euertit. In Apuliam & Calabriam Normannos collocauit, vt tuerentur eam Italiæ oram contra vtrosq;. Hoc tempore postremò Græcis pariter ac Saracenis tota vlteriore Italiæ depulsis, Apulia & Calabria cesserunt Normannis: quod quibus occasionibus accideret, postea paucis exponam, vbi de rebus Siculis post Græcorum Imperatores aliquid dixero.

Imperator peccata Italia victor per vrbem Romam in Germaniam redijt. Sunt qui affirmant à reditu congressum cum Roberto Francorum Rege, & fœdere inito, de communibus orbis Christiani rebus collocutum esse.

Tandem Bambergæ mortuus est tertio Idus Iulij, anno Christi millesimo vicesimo quarto.

Anno mundi quatermillesimo nongentesimo octogesimo sexto.

Imperij vicesimo quarto, si connumerentur duo anni interregni, quo vacauit Imperium, discordantibus de electione proceribus. Princeps fuit religione maximus, munificentia erga Ecclesias & pauperes, castitate, clementia, & rebus bello fortiter gestis insignis.

Vxorem habuit Cunegundam Franconicæ stirpis Palatinam: Pater enim Sigefridus dicitur fuisse pronepos LVDOVICI Regis Franciæ ex matre Cunegunde, & auia Hermundrude. De Huius Cunegundæ hontimentia & castitate plurima leguntur literis

teris monumentisq; prodita, multis affirmantibus, quòd virginitas eius violata nunquam fuerit.

HENRICO Sancto mortuo Imperium Occidentis & Bauaria desierunt esse apud stirpem Saxonicam HENRICI Aucupis, reuolutum ad Francos. Bauariam Imperator concessit HENRICO nepoti ex fratre coniugis Cunegundæ è Lotharingia Mosellana: etsi supercssent agnati Principes, qui in Saxonia amplis regionibus dominabantur titulo Marthionum Suxoniæ. Erant enim HENRICO Bauaro OTTONIS Primi fratri nati HENRICVS HEZELO Sancti Pater, qui in Bauariæ Principatu successit, & BRVNO Marchio Saxoniæ, cuius filius BRVNO cognominem filium & Ludolphum reliquit. LVDOLPHO filij fuerunt BRVNO, ECBERTVS vltimi Ecberti pater, & OTTO Dominus terrarum ad Visurgin prope Vuestphaliam, qui ab HENRICO Quarto Bauariam recepit: Sed ab conspirationem factam in Imperatorem, iterum excussus, HENRICO Crasso seu pingui filio Comitatum in Ringelheim cum dominio terrarum ad Visurgin reliquit, vt dicetur. Sed HENRICVS Sanctus hos testamento præterijt: Id vel persuasu coniugis, vel ob præstitam in bellis operam, factum esse ratiocinor. Translatio verò imperij ad Francos quanta & quam diuturna ac funesta commouerit bella, postea commemorabimus, cum prius strictim percurrerimus Græcorum Imperato-

ratorum historias, quorum gubernatio incidit in eandem cum iam expositis Imperatoribus ætatem, narratione deducta vsq; ad ea tempora, quibus à nostris expeditiones in Asiam susceptæ sunt, & recepta est Palæstina atq; ipsa vrbs Hierosolymorum, quam Turcæ Saracenis ereptam anno quarto, vel vt alij malunt, duodecimo Imperij huius Henrici Sancti, occupârunt, Saracenis oppressis: Sed non ita multo post Saraceni eam recuperârunt, templo, quod à Constantino splendidè fuit exædificatum, direpto ac diruto.

IMPERATORES
Orientis.

SVprà dixi, me ex Græcorum Imperatorum historijs tantum decerpturum, quantum satis fore iudicauero ad inteilligendas res Asiaticas, nostras, Turcicas & Saracenicas. Etsi autem vix dignæ sunt vt commemorentur: tamen ne interrupta series narrationis alicubi hiet & mutila sit, atq; afferat obscuritatẽ cæteris, ordine Imparatores recensèri necesse est: in quibus hoc tamen admiratione dignum est, & argumentum est illustræ præsentiæ, prouidentiæ, iustitiæ, clementiæ, bonitatis ac misericordiæ diuinæ, quòd constiterit tam diu Imperium Orientis, à talibus gubernatum portentis generis humani, idolatris, luxu perditis, parricidijs, libidinibus, rapinis & alijs sceleribus multipliciter pollutis; & quidem cum-

cumsessum vndiq, totiesq & impeditum atq oppugnatum & disceptum ab hostibus tam potentibus, ex parte vna Saracenis & Turcis, ex altera Roxolanis, Bulgaris, Bossinis. Conseruatum est autem immensa Dei misericordia Imperium inter tot lanienas & parricidia inter se pollutissimorum Principum, & conflictus eorundem cum potentissimis & ex omni parte circumfusis hostibus, sine dubio propter Ecclesiæ reliquias, vt essent aliqua Ecclesiæ & bonarum artium ac disciplinarum hospitia reliqua in Oriente.

Etsi enim magna fuit & Principum petulantia καὶ ὕβρις & populi Principum exemplo licentia in Græcia, præsertim temporibus postremis, cum licentiam auxerunt latrocinia Turcica: Tamen libros veterum historiarum, Mathematum, artis Medicæ, doctrinæ legum, ac sacrarum literarum ibi conseruatos, indeq exilio translatos esse in Italiam, ex Italia in Germaniam & Galliam. ex his tandem doctrinæ vtriusq cœlestis ac Philosophicæ puritatem restitutam, & Ecclesiam ab erroribus atq abusibus repurgatam esse, certum est: vt Græciæ debeatur non minima pars instauratarum cum Ecclesia disciplinarum. Sed interea tamen, dum conseruatum Imperium, Tyranni pœnas dant scelerum suorum, ac suis exemplis confirmant regulas: Qui gladium ceceperit, gladio peribit. item, Omnis anima, quæ feceret hæc, delebitur de terra. Recensebimus ergo Imperatores, qui inciderunt

runt in tempora Saxonum, quorum res gestas hactenus exposuimus, vsq ad Alexium Comnenum, & res gestas singulorum paucis ac summatim perstringemus.

NICEPHORVS COGNOMENTO Phocas

DEcessit, vt suprà diximus, ROMANVS Iunior relictis impuberibus filijs BASILIO & COSTANTINO, & filiabus Theodora & Theophania, quarum Theodora nupsit IOHANNI Cimiscæ, Theophania OTTONI Secundo Imperatori Occidentis. Cùm ergo filijs propter ætatem committi non posset gubernatio Imperij tot periculis expositi, consilio procerum summæ rerum præfectus est NICEPHORVS cognomento Phocas NICEPHORI Phocæ filius, clarus ob res præclarè gestas in Sicilia & Apulia contra Saracenos.

Hic Theophaniam Romani viduam matrimonio sibi iunxit, & bella gessit contra Saracenos præcipuè, terra mariq: Terra feliciter in Cilicia, primùm Duce IOHANNE Cimisce, postea suo consilio, recepta magna parte Asiæ & Syriæ, ac metropoli Antiochia: mari autem infeliciter ad Siciliam Duce Manuele, qui locis asperis & angustis à Saracenis conclusus, amissis copijs vniuersis in hostium potestatem venit.

Fuit

Fuit in Nicephoro auaritia inexplebilis, adeò vt nullas extorquendæ à subditis pecuniæ & quæstus conficiendi occasiones prætermitteret, & fame grassante etiam insultaret egentibus frumenti precio plus æquo adacto. Sed dum prætextu bellorum deglubit & expilat subditos, & numismata diminuta vsitati ponderis parte attenuat, incurrit in odium ciuium: cuius occasione à Iohanne Cimisce, quem antea offenderat, exucidatus est in cubili: consilium cædis & operam adiuuante Theophania coniuge, vt Imperium, quod Nicephorus in fratrem Leonem transferre decreuerat, redderet filijs expriore marito natis, Imperauit annos 6. vixit annos 57.

IOHANNES CIMISCES.

NICETHORO obtruncato Imperium occupauit IOHANNES Cimisces maritus Theodoræ, quæ filia fuit Romani iunioris & Theopheniæ. Hic ab exilio reuocauit, quos metu insidiarum NICEPHORVS pepulerat, & affines BASILIVM atq; CONSTANTINVM fratres in Imperij societatem asciuit. Ante Imperium adeptum plus, post illud minus ipse per sese bello gessit. Per Duces suos, inter quos præcipuus fuit Bardas Sclerus, Saracenos ab obsidione Antiochena depulit: Roxolanos auxilijs Bulgarorum Thraciam deuastantes vicit, fuso ac dissipato exercitu trecento

centorum millium, & Suendoslauo Duce eorum ad pacem petendam adacto, quem pace impetrata reuertentem cum reliquijs Bossini oppressérunt atq; interfecerunt.

Vrbes quasdam Asiæ defectionem molientes vi retinuit in fide, à qua expeditione reuersus cum hausisset poculum lento veneno infectum à quodam Basilio Eunucho, qui se potentiam derogaturum fuerat interminatus, lenta tabe consumtus pœnas dedit & parricidij & Idolatriæ. Manichæos enim ex Asia in Europam deductos collocauerat in vrbe Philippopoli. Interijt cum Imperasset annos sex, menses totidem.

BASILIVS PORPHYROGENITUS & Constantinus frater.

MOrtuo Cimisce redijt Imperium ad filios Romani Iunioris, quorum Basilius vicesimum, Constantinus decimum septimum tunc egit annum. Basilius gubernationem à ciuili bello exorsus est. Nam Bardas Selerus elatus fortuna ac successibus sub Cimisce, & confisus fauore ac studio militum, magnam Imperij partem suam fecerat. Cum hoc bis conflixit terra mariq; infeliciter, tertio victum Duce Phoca Barda, & omni exercitu exutum coëgit fugere ad Persas: sed tandem eum in gratiam recepit. Postea & Phocam recentis victoriæ insolentia ad res nouas aspirantem

acie

acie superauit, & filios eius patris fortunam vlturos oppressit altero cæso, altero capto.

Post intestina bella ad externa sese conuertit. GEORGIVM fratrem Dauidis, Dominum interioris Iberiæ, carpentem limites Imperij, coëgit pacem pecunia redimere, & eandem dato obside filio sancire: quem tandem, cum non seruatis pactis bellum renouaret, magna strage deuictum profligauit. Saracenos etiam, qui Phœnicam & vicinam illi Syriam depopulabantur, domuit. Bulgaros Duce Nicephoro Vrano magno prælio debellauit, & nouo crudelitatis exemplo ad cæteros terrendos, quindecim captiuorum millibus oculos eruit, in singulis centurijs relicto vno monoculo, qui dux itineris esset socijs domum reuertentibus.

Tandem totam perdomuit & suo Imperio subiecit Bulgariam, & regioni Ducem peculiarem imposuit. In Italia ducibus Basilio Sanio, & Conto Leone Cephalonio, res infeliciter gessit contra Melen Barensem. Postremò cum instrueret classem contra Saracenos Siculos, fatali morte præreptus, expeditionem illam non absoluit. Obijt anno ætatis septuagesimo secundo, cum regnasset annos quinquaginta duos:

Princeps acer & bellicosus, sed tyrannide,
auaritia, & fraudulenta ac subdola
callidate infamis.

CON-

CONSTANTINVS
frater Basilij.

POST BASILIVM suscepit Imperium frater Constantinus, ætate illo paulò minor & gubernationis prorsus imperitus, vt qui viuo fratre res Imperij neq; attigerat, neq; curârat: sed voluptatibus suis indulserat, & iam tum ætate fractus, tum affæminatus ocio, ignauia, luxu, ac libidinibus languebat. Itaq; Imperio potitus, cum nihil de prioris vitæ indulgentia vel mutaret vel remitteret, tyrannidem insuper adiunxit, quòd esset iracundus & suspicax.

Hoc imperante Constantinus Diogenes Syrmij & Bulgariæ Præses Bosßimos vltra Istrum reiectos compescuit, & Sami Præses classem Saracenorum Cycladas depopulantem dissipauit, duodecim nauibus captis. Contra eosdem in Sicilia & Italia, quanquam bis reparato exercitu, prosperè nihil gestum est, propter imperitiam & audaciam Ducis Orestis. Ipse Imperator, cum annos tres, vno mense demto, Imperium tenuisset, in fata concessit. Vxorem habuit Helenam Alipij prædiuitis viri filiam, ex quo suscepit filias, Eudociam, Theodoram & Zoën: Hanc cum Imperio despondit & tradidit ROMANO Argyro, fraude diuulso coniugio ROMANI priore, & vxore eius in ordinem redacta. Incidit autem Imperium Constantini huius in principia

annorum Conradi Saliqui. Qui sequuntur Græci, σύγχρονοι fuerunt posteriorum huius Conradi vsque ad HENRICVM Quintum.

ROMANVS ARGYRVS.

ROMANVS Argyrus vxore priore relicta alteram Zoën CONSTANTINI filiam duxit vna cum Imperio: ipse sexagenarius, Græcarum literarium, doctrinæ legum, Philosophiæ, ac rerum plurimarum cognitione excellens, & natura moderatus, quinquagenariam procaciſſimæ & intemperantiſſimæ libidinis fœminam. Initio gubernationis, cum beneficum seſe et iuſtum exhiberet omnibus, poſt acceptaus à Saracenis cladem ad Alepum Syriæ, moribus mutatis, facultates priuatorum immoderatis & acerbiſſimis exactionibus exhauſit.

Saracenos de prædantes Cycladas Inſulas & littoralem Græciam, Duce NICETHORO Caranteno depulit, victos duobus naualibus prælijs: in quorum priore claſſis Seracenica partim incendio, partim tempeſtate in mari Siculo abſumta eſt: in altero plurimi viui venerunt in poteſtatem Græcorum. Paulò pòſt cum apud coniugem impudicam veniſſet in odium, quæ Paphlagonem quendam Micaelum deperire cœperat, morbo contracto ex veneno, quod vxor propinârat, toto corpore intumuit. Sic affectus cum ingrederetur in balneum, inſidijs adulteri capite in dolium aqua plenum demerſus, & cum iam expi-

expiraturus eſſet retractus, atq; in lectulo collocatus vitam finijt, poſtquam imperaſſet annos quinq; menſes ſex.

MICAEL PAPHLAGO.

CVm hoc Micaelo conſueuerat Zoë marito Romano viuo, quo mortuo Imperatorem eum inſtituit. Hic clementem seſe, iuſtum & beneficum in Imperio præbuit: hoſtibus formidabilem. Cum Caliph Ægyptio inducias pepigit trecennales. Edeſſam ab Arabum obſidione liberauit. In Sicilia Saracenos per Georgium Maniacen fortiter debellauit. Et quanquam ex eo morbo, quo magna cum deformitate ſæpè proſterni atq; horribiliter diſtorqueri fuerat ſolitus, ex vindicta diuina pœnas dans periurij, tandem incidit in hydropem: cumq; hæc ingraueſceret mole ventris augeſcente, parum videretur idoneus ad res gerendas: tamen Bulgaros rebellantes compeſcuit: Cumq; nepotem ex ſorore ſuum Micaelem Calaphaten Imperij hæredetem inſtituiſſet, ipſe in Monaſterium seſe abdidit, cum præfuiſſet imperio annos ſeptem.

MICAEL CALAPHATES.

MICAEL Calaphates ex ignobili & obſcura origine à Paphlagone et Zoë adoptatus, cùm gratia vtriuſq; & ſimul ſpe Imperij excidiſſet: tamen per auunculum Orphanotrophum obti-

nuit apud Zoën, preuolutus ad genua Imperatricis, postquam Paphlago sese imperio abdicasset, vt propter adoptationem vel titulum saltem Imperij illi cõcederet: quem consecutus mox redijt ad naturam, quã callidè dissimulârat: Et vt fuit ingenio vafer, instabilis, mendax, iracundus: sic vix ingressus in Imperium, mox primam tyrannidem in auunculum, cuius opera obtinuerat id omne quod habebat, & in Zoën atq; eius cognatos conuertit, Zoë relegata in Insulam habitu Monastico, Id indignè ferentes cateri, concitata seditione Zoën reuocarunt ad Imperium adiuncta ei socia in gubernatione sorore Theodora: Micaelem verò fugientem cum fratre Constantino retractũ oculis priuarunt, cum rerum esset potitus menses quatuor, dies quinq;. Fuit ergo aliquandiu summa rerum penes duas sorores Zoën & Theodoram: quo tempore Georgius Maniaces opera Normannorum, qui recens in Italiam venerant, oppressis Saracenis Siciliam recepit, quam paulò pòst rursus amisit, iniusticia & auaritia sociorum animis alienatis. Sed cum Zoë quanquam decrepita, tamen adhuc impotenti libidine arderet, maritum sibi delegit Constantinum Monomachum, quem ab exilio reductum in Imperio collocauit: Sed non diu cum eo vixit, extincta iam septuagenaria.

Con-

CONSTANTINVS MONOMACHUS.

CONSTANTINVS ergo ab exilio reductus, & ex priuato ad Imperium beneficio Imperatricis euectus, quòd pertæsus esset laborum atq; ærumnarum, quas in exilio sustinuerat, totum sese libidinibus & quieti dedidit, & consilia gubernationis omnia composuit & inflexit ad affectus & voluntatem mulieris: vir moribus quidem facilis, sed effæminatus ac luxuriosus: literarum ignarus, sed literatum amans.

Bella gessit domestica & externa. Domestica duo: vnum cum Georgio Maniace in Epiro qui ob bella in Sicilia fortiter & feliciter confecta, enitebatur ad Imperium, fretus copijs, quas habebat instructas & exercitatas. Hoc bellum citò vno secundo prælio, & Maniacis interitu finitum est. Alterum gessit cum Tornotio Leone ad Orestiadem, de qua extructa est Adrianopolis: huic de insidijs suspectum habebat ex vaticinijs, quibus Leoni Imperium promitti compererat. Propterea in exilium hunc relegarat: vbi Leo iniuriam vindicaturus, cum exercitum comparasset, & ab hoc Imperator esset salutatus, arte pertractis ad se copijs Orientalibus, ad vrbem Constantinopolin castra prosuit: Sed aliquot prælijs victus, & vinus in hostium potestatem redactus oculos amisit.

Externa bella contra Roxolanos & Bosſinos geſſit, Turcos Aſiam longè lateq; deuaſtantes neglexit. Roxolanos claſſe vicit, Boſſmis debellatis locum tribuit inter Bulgaros: vnde Boſnenſium reliquiæ ſunt vbi antiquitus Dardani habitarunt publicæ pecuniæ fuit profuſiſſimus. Cumq; fiſco exhauſto, inopia pecuniæ gentibus etiam, quæ ſuo ſumto fines tutabantur contra vicinorum hoſtium irruptiones, ideoq; à publicis oneribus immunes erant: his ergo cum tributa imperaret, factum eſt, vt Imperium Orientis & belli neruis & præſidijs ſpoliatum, vndiq; externis hoſtibus patuerit.

Hoc ergo imperante extulit & dilatauit ſeſe potentia Turcorum, qui oppreſſis Saracenis in Perſide & Babylone, magna celeritate in anteriorem Aſiam effuſi, ibidem Græcorum viribus attritis regnum conſtituerunt, quod quando, & quibus initijs atque occaſionibus cæperit, ſuprà expoſui. Magnam Orientis partem Monomachus amiſit, cum nec pecuniæ, quas inconſultis largitionibus dilapidarat, ad bellum ſuppeterent, nec ipſe ex incontinenti luxuria & delicatiore viuendi ratione articulorum morbo eneruatus, rebus gerendis eſſet idoneus.

Sub eodem Normanni paulò antè irritati auaritia Georgij Maniacis, quo cum ſocia arma coniunxerant ad opprimendos in Sicilia Saracenos certis pactionibus, Calabriam & Apuliam omnem Græcis ademerunt, exturbatis etiam inde Saracenorum præſidijs

ſidijs, quibus non ita multò poſt Siciliam etiam eripuerunt.

Cùm autem ingraueſcente articulorum morbo, & cruciatibus augeſcentibus, nec incedere poſſet nec conſiſtere, & humorum acumen in corpore ſummum eſſet, Pleuritide accedente extinctus eſt, cum imperaſſet annos duodecim, menſes octo. Imperium reliquit Theodoræ ſorori coniugis, quæ maritum in Imperij ſocietatem nullum adduxit, ſed ſola Imperium adminiſtrauit: Quanquam autem ætate effœta, corpore tamen non fuit inualida: ſed Iliaco morbo correpta, cum vitam deſperatam eſſe ſentiret, ſuaſu procerum delegauit Imperium viro Bizantino MICAELO *Stratiotico admodum ſeni, cum poſt Monomachum ſola rebus perfuiſſet annum vnum, menſes nouem. Hæc & mulierum & virorum imbellium Imperia labefactatam antea & acciſam dignitatem ac potentiam adeò debilitarunt, vt ex eo tempore nunquam ſeſe poſtea recollegerit.*

MICAEL STRATIOTICVS.

COnſecutus Imperium adoptione MICAEL *ſenex, cum beneficus eſſet erga populum & Senatum, delectisq; ex hoc ordine dignitatis decerneret, & prouincias diſtribueret atque præfecturas: Duces militiæ verò & meliores copias non tantum negligere, ſed auerſaretur etiam ac penè aſpernaretur: venit in odium apud exercitum, à quo Iſaacius Comnenus*

nenus Imperator salutatus missum contra se Theodorum acie vicit ac profligauit, Nicea in belli arcem occupata. Etsi autem MICAEL inita cum Comneno pace, inter conditiones cæteras se testamento cum eum hæredem Imperij nuncupaturum assenserat, tamen cum mutata voluntate clàm largitionibus corrumperet animos populi & optimatum, ne id ratum haberent: Comnenus re cognita, opera Patriarchæ Imperium ei derogauit, cum id tenuisset annum vnum. Ita loco motuus reliqum vitæ priuatus transegit, nec quòd sapientiæ ac virtutis adminiculis destitueretur, ac propter ætatem inualidus esset, tantæ moli rerum par fuit.

ISAACIVS COMNENVS.

COMNENVS cum Patriarchæ auxilio MICAELVM Imperio exuisset, mox in autorem beneficij odio concepto, Patriarchatu depositum misit in exilium. Bellum gessit cum Vngaris & Bossinis: quibus vtrisq; pacem petentibus in ducias concessit, perpessus non exigua detrimenta à cœli & tempestatum inclementia. Extinctum scribunt, cum Imperio præfuisset biennium & menses tres: alij Pleuritide oborta ex commotione corporis nimia sub cœlo gelidiore: alij morbo seu caduco seu attonito, cum inter venandum circa Neapolin aprum aspectu horrendũ persecutus, quem spectrum fuisse consentaneum est, & hoc in mare demerso ipse subitò fulgure territus ex equo præceps decidisset: Vir moribus arrogans & seuus, cætera mediocris, etsi abijs, qui in eius ætatem inciderunt, laudatur.

CONSTANTINVS DVCAS.

CONSTANTINVM Isaacius ante mortem nominauit Imperatorem, virum Iusticiæ quidem & pietatis opinione celebrem, sed ingenio tardum & hebetem, ac incredibili corradendæ pecuniæ studio negligentem Imperij defensionem contra Turcos. Dũ enim in explebili auaritia pecuniæ inhiat, nec præsidia necessaria defensioni comparat, interea ab Oriẽte Turcæ magis magisq; progressi, ad littus contra vrbem Constantinopolin vsq; accesserunt: Ab Oriente Vsi gens Scythica Macedoniam & Græciam depopulati sunt: qui maiora damna daturi fuissent, nisi plurimis peste assumtis, reliquias domum redituras cum magna præda Bulgari internecione deleuissent.

Irruptionem hanc nouorum hostium, & Turcorum progressum, anteceßit Maio Mense Comita, qui post Solis occasum effulsit plenæ lunæ fulgore, & paulatim deflagrauit. Secutus postea vicesima tertia die Septembris terræ motus, plurima ædificia Cyzici, Niceæ & alibi euertit. Anno vno post Imperium longo morbo extenuatus, decessit sexagenario maior, tùm præfuisset Imperio annos septem cum dimidio. Commendauit autem Imperium Eudociæ coniugi iura-

ramento obligatæ, ne id cuipiam concederet, nisi natis ex ipso filijs, MICAELO, ADRONICO & CONSTANTINO. Fratrem IOHANNEM Cæsarem nominauit: cuius filium Andronicus postea patrueles adiuuit in Imperio recuperando.

Eudocia ergo susceptа administratione, etsi vt erat ingenio astuto & solerti, temporibus tranquillis Imperium filijs impuberibus conseruare potuisset: tamen quòd ingruentem vndiq; vim hostium pertimesceret, & lacero ac ruenti Imperio videret strenuo propugnatore opus esse, oblita iuramenti, quo marito viduitatem sponderat, alium sibi delegit natum ex familia militiæ laudibus celebri, ROMANVM Diogenem, sex post obitum prioris mensibus & aliquot diebus elapsis.

ROMANVS DIOGENES.

ROMANVS ergo Diogenes propter connubium Eudociæ Imperio potitus, quòd Turcis priorum Imperatorum ignauia animatis, & successu prospero in spem accupandæ Asiæ erectis, ac longè lateq; grassantibus nemine prohibente, maturè occurrendum censeret, mox contra datam fidem, exclusa Eudocia, suo consilio & arbitrio omnia administrare cæpit.

Summa rerum apud Turcos tunc erat penes tertium ex ijs, quos Imperatores Asiæ Calipha Babyloniæ

niæ creauerat. nomine Aspasalem. Hic sedem habebat in Persida, & per Sultanos cùm prouincias cæteras regebat, tùm finibus prolatis regnum ampliabat. Hic bipartito agmine Diogenem aggressus, vno versus Septentrionem Cappadociam occupauit, & vicinas regiones deuastauit: altero versus Meridiem Syriem inuasit: cui Diogenes cum occurrisset, Turcis repulsis, Calepum, Hierapolin, & aliquot vicina oppida recepit. Verno tempore cum Turci ex Cappadocia Lycaoniam popularentur, reduxit exercitum ex Syria: Sed quod iam Turcos præda onustos & sponte recedentes Armenij magna ex parte trucidassent, ipse in hyberna se recepit. Sequentes expeditiones eius infelices fuerunt: nam & Ducum aliquos amisit, & ipse tandem ad Theodosiopolin pugnans, equo ex letbali vulnere collapso, venit in hostium potestatem. Adductum ad se Axan Sultanus honorificè tractauit, & pactus cum eo fœdus certis conditionibus, sanciendum connubijs liberorum, incolumem ac muneribus ornatum dimisit. Interea quòd in odio esset apud Eudociam coniugem, & liberos ex priore marito natos, Byzantini absenti Imperium abrogatum MICAELI natu maximo CONSTANTINI Ducæ filio tradiderant, qui Diogeni reduci præter iurisiurandi fidem capto oculos eruit, ex qua re cum vulneris curatio negligeretur, capite toto intumescente & verminante, miserè mortuus est, post annum tertium & mensem octauum Imperij.

MICAE

MICAEL COGNOMENTO Parapinacius.

CApto à Turcis ROMANO Diogene, Imperium odio illius obtinuit priuignus MICAEL, cui ingens fames, quæ sub eo grassata est, à Pinacia medimni quadrante cognomentum Parapinacij attulit. Anteceßit hanc famem natiuitas monstri, quod pedes habuit caprinos, in media fronte oculum vnũ: Secuta est mox ingens pestilentia. MICAEL etsi in liberalibus artibus ac disciplinis bene profecerat, opera MICAELI Pselli Philosophi, cuius adhuc Arithmetica circumferuntur: tamen Imperio non fuit Idoneus. Id cum imperitia rerum & ignauia negligeret, factum est, vt regiones Asiæ versus Pontum omnes Turcis cesserint, & sit ibi constitutum regnum, quod vocatum est Turcomanniæ regnum, & hodie adhuc nomen retinet. Ab occasu Croatæ gens Heneta progressi paulatim ad ipsam vrbem regiam vsq; accesserunt populabundi, & tandem obtinuerunt sedem in ea Illyridis vel Pannoniæ parte, quæ olim Liburnia vocata, nunc dicitur Croatia. Domi defectionibus nouis turbarunt omnia: Nastor Præfectus limitum ad Istrum: cumq; hic desperato Imperio ad Bossinos transijsset, Nicephorus Botoniates, attractis in Asiam Turcis: Nicephorus Briennius Dyrrachij Dux ijsdem adductis in Europam. Sed Briennio profligato à Ruselio Latino, cum Botoniatæ potentia Turci

Turcicis auxilijs fulta inualuisset, MICAEL Imperio, quod conseruari non poterat, sponte abdicato, monasticum habitum induit, & in solitudinem cum Maria Alana coniuge secessit, post annum Imperij sextum & dimidium.

NICEPHORVS BOtoniates

HIc Botoniates ortus ex posteris Nicephori Phocæ, cum & ignauia Micaelem exosum ciuibus reddidisset, & ipse societate Turcicorum armorum eundem terruisset, Imperium sibi asseruit: quod etsi confirmarat cæde Briennij & Basiliaci, qui idem affectabant, & redacto in ordinem Constantino Duca Micaeli filio, quem ad Chrysopolim exercitus Imperatorem proclamarat: tamen conspiratione Comnenorum fratrum violenter oppressus, Monasterium Imperio relicto ingredi coactus est, tertio Imperij, anno, cum pœna talionis luisset iniuriam, quam Micaelo intulerat.

ALEXIVS COMNENVS:

AMoto ergo NICEPHORO Botoniata Imperium inter sese partiti sunt Comneni fratres ea lege, vt titulum Imperij vsurparet & exerceret potestatem Alexius, alter Isaacius vocaretur σεβαστοκράτως nouo nomine; tertius ADRIANVS

ANVS nominaretur πρωτοσέβας Θ: minimus σέβας Θ: Affinium verò, qui sorores duxerant, Micael Taronites παυυπερσέβας Θ, Melissetius verò Cæsar nuncuparetur: & cederent singulis ex Imperij reliquijs certi reditus annui, scilicet ne quid ex ambitione & æmulatione dissidij inter eos existeret, quod familiam euerteret, Imperio nondum stabilito.

Cùm autem dilaceratis hac partitione reditibus Imperij, ea quæ ad Imperatorem redibant, non sufficerent defensioni limitum à vicinorum hostium incursionibus, Alexius conuersus ad rapinas, & exactiones, subditos immanem in modum expilauit: cumque corrupta moneta pro aurea & argentea æneam signasset, tributi loco tamen auream dependi voluit. Ingenio fuit versuto, vafro, suspicaci, auaro & rapaci, bello infelix. A Normannis ad Epidamnum victus fugatusq, maguam cladem accepit. Amisit in mari Chium, Lesbum, Samum & Rhodum insulas, quas Turci Duce Zachabo occuparunt subacta litorali Asia: Cretam & Cyprum recepit. Bello petitus à Bossmis & victus fœdus cum eius pipigit, pacem mercatus parte suæ ditionis ad Moglenem, quam incolendam eis attribuit.

Hoc imperante suscepta est à nostris Argonautis insignis illa in Asiam contra Turcos & Saracenos expeditio Duce Godefrido Bilioneo, à quo Syria omnis & Palæstina cum prouincijs vicinis recepta, & regnum

gnum Hierosolymitanum constitutum est: de qua expeditione cum dixerimus: crebra fiet mentio huius Alexij, cui fortunæ aduersitas multa postea in naturu & moribus correxit, auaritia ac rapacitate in liberalitatem & beneficentiam, occulta sæuitia in clementiam commutata. Decessit tandem septuagenarius, diuturno & graui morbo fractus, cùm imperasset annos triginta septem, menses quatuor cum dimidio. Vxorem habuit Irenen neptem Iohannis Cæsaris, fratris Constantini Ducæ, ex qua suscepit filios, Iohannem, Andronicum, & Isaacium: filias, Mariam, Theodoram & Eudociam: Iohannem successorem in Imperio designauit.

His Imperatoribus etsi de Oriente conuulso atq, discerpto armis Henetis & Turcicis superfuerunt exigua rudera: tamen hæc ipsa conseruauit Deus & in his aliquam Ecclesiam admirandis modis, vsq, ad extremam euersionem, reuersis Turcis, primùm virtute eor ũqui ab Occidẽte oppressæ Asiæ suppetitas tulerunt multis annis: Deinde excitatis Tartaris, qui Turcis omne Asiæ Imperium ademerunt: & sustentat ac protegit adhuc aliquas Ecclesiæ reliquias in armenia, Iberia, Alania, & in ipsa Græcia sub tyrannide Turcica, sicut seruauit Ecclessam in Babylone, & postea grassantibus Tyrannis, Nerone, Diocletiano, maximino, & alijs.

Etsi autem Ecclesiæ Græcæ non sunt sine erroribus

bus & abusibus multiplicibus, sicut omni tempore Ecclesia aliàs plus, aliàs minus lucis habet: tamen retinent fundamenta, scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola, & Sacramentorum vsum, & vtuntur vtráq; parte Cœnæ Dominicæ, cum fit distributio in vna communi Missa. Hoc exemplo confirmati statuamus mansuram esse certò aliquam Ecclesiam in hac vita, quicquid euenerit de Imperijs: neq; ad Monarchias & politica regna respiciamus, neq; horum aut potentia atq; amplitudine, aut collisionibus inter se & ruinis moueamur, neq; ad hæc ita Ecclesiam alligemus, vt cum eis surgentibus & efflorescentibus nasci atq; consistere, collabentibus interire Ecclesiam fingamus, sicut homines profani iudicant. Est enim Ecclesia cœtus Deum rectè agnoscentium & inuocantium, fiducia IESV CHRISTI Mediatoris, dispersus in totum orbem terrarum. Consideremus & pœnas, sicut dixi, Idolatriæ, tyrannidis, parricidiorum, auaritiæ, libidinum & aliorum scelerum, quibus polluti gubernatores & subditi mutationem Imperij acceleraruntur.

DE OCCVPATA A Normannis Sicilia.

SICILIAM post ejectos inde Carthaginenses semper tenuerunt Romani, aut Romanorum Imperatorum titulo Græci, vsque ad Saracenos, qui cum

tùm occupassent Ægyptum, primùm inde circa annum Christi sexcentesimum quinquagesimum Rhodo capta, Siciliam etiam classe aggressi sunt: sed direptione contenti suam non fecerunt, vel quòd metuerent vicinam Italiam, vel quòd propinquam Ægypto Africam, Vandalis & Gottis expulsis, prius subigendam esse conserent. Omissa ergo Sicilia promotis ex Ægypto castris, & multis in littore Africano vrbibus captis, non procul à Carthagine in belli artem condiderunt Caruenum vrbem, sic dictam, quòd fuerit ceu receptaculum exercitus & arx belli. Inde reliquam Lybiam omnem, Africam minorem, Numidiam & Mauritaniam vtramq; domuerunt. Carthaginem, quam anno secundo supra centesimum, postquam è Scipione iuniore deleta est, Augustus instaurárat, annis sexcentis octoginta pòst funditus excisam solo æquarunt. Dehinc freto Herculeo traiecto, Beticam occuparunt in Hispania, vbi regnum Granatæ instituerunt, & Roderico Gottorum Rege cæso, progressi Toletum etiam expugnarunt.

Omnis autem illa Africæ pars, quæ hodie Barbariæ nomine celebris interiacet Cyreniacæ & montis Atlanti, & à littore maris Mediterranei versus amplissimas Æthiopum solitudines extenditur, in quatuor regna tunc fuit diuisa: quorum vnum in Mauritania Tingitana ad montem Atlantem metropolim habuit vrbem Marocum, quæ antiquitus fuit Bogannum Hemerum, & sedes regni Bogudis. Fuit autem

hoc regnum cæteris amplius ac potentius, distinctum in regiones septem. Alterum in eadem Mauritania prope angustias freti Herculei sedem habuit in vrbe Fesa, quæ apud Ptolemæum est Volubilis, & & adhuc hodie regni Fesani caput est. Hoc totidem regionibus distinctum à flumine Cusa pertinuit vsq ad fretum Herculeum. Tertium in Mauritania Cæsariensi Romanorum colonia, Metropolin habuit Tremesinum vel Telesinum vrbem, cuius cognomentum vetus fuit Timice: Huic subiectæ fuerunt regiones tres. Quartum Tunetanum, quod complexum totam Africam minorem, & magnam Numidiæ partem, caput regni habuit vrbem Tunetum, non procul à ruderibus veteris Carthaginis, vnde pulsum Mulcassem, ab Ariadeno Barbarossa Carolus Quintus Imperator restituit anno millesimo quingentesimo tricesimo quinto: Sed rursus excidit regno Mulcasses excæcatus à filio Amida. Fuit autem distinctum in regiones quatuor. Ex his quatuor regnis progressu temporis conflictu inter sese mutuo debilitatis ac dilaceratis, postea emerserunt plura minora regna, positis sedibus Hipponæ, Bugiæ, vbi antiquitus fuit Salda Colonia: Bisertæ, vbi olim fuit Vtica: Algieræ, quæ olim fuit Iulio Cæsarea, & sedes Iubæ Regis Mauritaniæ: item Constantinæ, & alibi.

Ex his ergo regnis in Africa Saraceni sæpe Siciliam classe adorti ac depopulati sunt sub Constantino patre Constantini Barbati & cæteris, multoq; crebrius

brius tunc, cùm maximæ partis Italiæ ab Imperio Græco auulsione potentia Græcorum debilitata paulatim corruisset. Tandem ab Euphemo Exarcho, qui spe obtinendæ Siciliæ & Italiæ se nomināt Imperatorem contra Micaëlum Balbum, attracti è Carueno certis conditionibus, cum in subigenda Siciliæ magna parte strenuam ei operam nauassent, illo trucidato & cæteris Græcis in seruitutem redactis insulam sibi vendicārunt. Factum id est imperante apud Occidentales Ludouico secundo. Etsi autem postea & de Sicilia, & de Apulia atq; Calabria cum Græcis & Francis contenter dimicārunt: tamen per annos ducentos quinquaginta octo de occupatis aliquid retinuerunt.

Dimicantibus ad hunc modum inter sese Græcis & Saracenis, interea paulatim sese collegerant rursus reliquiæ Longobardorum circa Neapolin: & res Siculas turbarant dissidia orta inter Reges Saracenos fratres Apollopharum & Apocaphen: & inclaruerat virtus Normannorum in bellis Berengarij contra Hunnos. His occasionibus rei gerendæ contra Saracenos Græci vtendum rati, miserunt cum classe in Siciliam GEORGIVM Maniacen, Imperantibus cum Zoë coniuge MICAELO Paphlagone & Calaphate, qui ascitis in belli societatem Longobardis & Normannis, Saracenos nouarum copiarum accessione auctos magna strage deuicit, et tredecim præcipuas Siciliæ vrbes recuperauit. Sed cum cōtra pacta

auarè & iniquè partam prædam inter socios dispertiretur, Normanni irritati Apuliam GVILHELMO Ferrebacho Duce Græcis eripuerunt. Paulò pòst GEORGIO Maniace in Epiro acie victo & obtruncato, Saraceni etiam Siciliam recuperarunt, imperante apud Græcos CONSTANTINO Monomacho, apud Romanos CONRADO Franco. Hæc fuerunt initia potentiæ Normannicæ in Italia.

Normannos autem Rollone Duce è Cymbrica Chersoneso eam regni Francici partem classe inuasisse ac diripuisse, postea verò ex transactione cum CAROLO Simplici Franciæ Rege obtinuisse, quæ quòd in Occidentem vergeret, corrupta voce Neustria antiquitus dicta fuit, quasi regnum Occidentale, suprà commemorauí. Conditor stirpis Rollo, nomine cum religione mutato, post Baptismum susceptum appellatus est Robertus. Ab hoc Rollone quintus fuit Tancredus, natus patre ROBERTO Comite tenuis fortunæ, ex vxore plebeia. Is cum ex duabus vxoribus duodecim suscepisset filios, & res domesticæ essent angustiores, quàm pro tot filiorum numero, ad ampliores quærendas in Italiam profectus, primùm militauit Berengario contra Hunnos: Deinde Pandulpho Longobardorum Duci contra Guaimarum Salernitanum. Moriturus cæteris filijs præfecit Guilielmum, qui à corporis robore nominatus est Ferrabachus. Præter hunc Guilielmum celebrantur ex fratri-

fratribus ROBERTVS cognomento Guiscardus, quod nomen Narmănica lingua aiunt significare eronem victorem, & ROGERIVS cognomento Bassus à corporis proceritate & crassitie.

Guilielmus cùm adiuuisset GEORGIVM Maniacen in Sicilia recuperanda, anno Christi millesimo quato, illo promissă mercedem negante, primus Apuliam occupauit: moxq; cum Græci per ignauiam negligerent Italiam, Calabriam omnem Apuliæ adiecit. Paulò pòst illo mortuo, fratres Robertus Guiscardus & Rogerius, inuitati à Bettumeno Saraceno, qui à cæteris odio defecerat, consilio eius & opera expugnarunt Messanam in Sicilia, anno Christi millesimo sexagesimo: Inde progressi, continentibus triginta annorum bellis, post Saracenos aliquoties profligatos, Sicilia vniuersa potiti sunt, anno Christi millesimo nonagesimo.

ROBERTVS febre decessit apud Cassionem Epiri vrbem, debellatis Epiro, Acarnania & Dyrrachio, anno Christi millesimo octogesimo tertio, anno ætatis sexagesimo tertio, relictis filijs Rogerio Apuliæ Duce, & Boëmundo quem expeditio Hierosolymitana celerem fecit. Rogerius fratri diu superuixit: obijt Mileti Calabriæ anno Christi millesimo centesimo primo, ætatis septuagesimo, rebus magnis bello gestis vsq; ad extremam senectam. Filios reliquit SIMONEM & ROGERIVM, qui anno Christi millesimo centesimo secundo, potitus Sicilia, & to-

ta propemodum Apulia atq; Calabria, primus regium nomen vsurpauit, translato eo cum regni hæreditate deinceps in filium Guilielmum primum cognomento Malum: Cui successit Guilielmus secundus cognomento Bonus: Quo sine liberis extincto, Siculorum aliqui, Regem declararunt Tancredum nothum filium Rogerij: Id ægrè ferens HENRICVS filius FRIDERICI Barbarossæ Imperatoris, qui regnum sibi vendicabat propter Constantiam vxorem, filiam Regis Rogerij, quam duxerat in vxorem quinquagenariam, cum exercitu profectus in Italiam, cùm Neapolim frustra obsedisset, peste exercitum depopulante, regredi coactus est re infecta. Sed Tancredo mortuo, qui Rogerio filio regnum tradiderat, reuersus, cum se netùm quidem vi profecturum quicquam cerneret, fraude propositis conditionibus de regno partiendo, Vt Neapolim ipse, Siciliam Rogerus teneret, adolescenti vt assentiretur persuasit. Ad confirmandas ergo conditiones intromissus in vrbem Panormum, pridie Calend. Decemb. anno Christi millesimo, centesimo nonagesimo quinto, nulla admissa deliberatione, Regem se statim Siciliæ & Neapolis proclamari curauit, Rogeriumq; oculis priuatum & virilibus, cum tribus sororibus, Alteria, Constantia & Modonia, in Germaniam abduxit. Ita regnum Siciliæ cum Apulia & Calabria à Normannis, qui id annos centum triginta quinq; tenuerant, deuolutum est ad Suenos, qui quando id amiserint, suo loco dicetur.

IMPE-

IMPERATORES ROMANI IN OCCIDENTE ex Francis Orientalibus,

CONRADVS SECVNdus cognomento Saliquus.

VVlt sciri DEVS, Imperia non rapi aut obtineri viribus, nec regi aut sustineri consilijs humanis, nec consistere aut ruere casu: sed constitui ac seruari diuinitùs: & rursus crescentibus gubernatorum ac subditorum vitijs & impunitate, vel deleri, vel mutari ac transferri diuinitùs, non tantum de gente in gentem, sed & de stirpe in stirpem. Vix enim in vllis historijs diuturnam fuisse eiusdem familiæ potentiam, & vltra quintum successorem pari sese felicitate extendisse reperias, sicut & Oraculi versu dicitur.

ἠοὴ σὺ ἠοὴ παῦες πεδ' ὦρ ἠοὴ ὄυκ ἔτι παῦες.

Sæpe etiam ostendit Deus totarum familiarum deletione, regnorum conseruationem non ita esse alligatam ad successionem ex certa stirpe, vt his fastigijs posteri excideri nequeant, & propterea vel perpetuam potentiam, vel certum atq; immutabile ius sibi somnient: Nec si quæ mutationes accidãt bello alijsue de causis, quenquam fiducia generis inuadere & occupare dominationẽ, aut recuperandæ potẽtiæ studio moliri aliquid, ad muniendi sui causa præsentem

formam gubernationis turbare debere: Deniq; nullam esse felicem gubernationem, nisi Deo adiuuante. Quàm infelices sint magnæ potentiæ extra vocationem & ordinem affectationes, ostendunt exempla historiarum.

Transfertur legitima electione Imperium à Saxonibus in CONRADVM Saliquum & huius posteros, quibus cum Saxones fiducia generis, quòd HENRICO Aucupe nati & propagati essent, qui primus in eam gentem fastigium Imperij intulerat, & alieni iugi impatientia parere recusarent, funesta bella ciuilia accensa sunt, flammas etiam subdentibus Pontificibus. Hæc bella vtrisq; familijs absumtis, & pluribus alijs, non solùm Germaniam præstantissimorũ virorum præsidio orbarunt, vt desineret esse formidabilis exteris Regibus: Sed & Imperij formam mutarunt, & Pontifices seditiosis consilijs ac molitionibus implicitos noua tyrannide armarunt.

Sint etiam in conspectu causæ innumerabilium vitiorum & calamitatum, quibus Imperia opprimũtur & tandem euertuntur: Ordo in imperijs, vt in rerum natura: sine dubio est opus Dei. A Deo sunt & boni ac præstantes humanoq; generi vtiles Principes, & felix ac salutaris gubernatio. Huius ordinis confusiones nec vult, nec approbat, nec adiuuat Deus: etsi permittit, & metis constitutis, quo vsq; toleraturus sit, tandem autores confusionum grauissimè vlciscitur, sarcitq; ac restituit labefactata. Oriuntur antem

autem confusiones in gubernatione à Diabolorum furoribus, qui odio Dei ordinem diuinum, quibus possunt modis turbare conantur: & ab hominum imbecillitate, quæ & per sese facilè labitur, & furoribus Diabolorum incitata magis ruit extra metas & ordinem: idolatrijs, libidinibus, tyrannide, quæ ferè ex superbia orta vel auaritia desinit in seditiones, in quibus verè secundum Thucydidem πᾶσα ἔνεστι ἰδέα κακῶν sicuo Germania experta est in bellis Henricorum. Et omni tempore vel in seditionibus extulit sese improbissimorum hominum audacia, & creuit eorundem potentia, secundum versum veterem.

ὧν δὲ διχοστασίη νοῦ πάγκακος ἔμμορε θυμῆς:

sicut ex nostris dissensionibus emersit & confirmauit sese tyrannis Pontificia, quam priores Imperatores represserant: vel propter seditiones attracti sunt homines peregrini, qui domi inter se conflictantes oppressérunt, vt historiæ omnium temporum testantur. Etiam Imperia, quæ amplitudine sua fulta ac maiestate, solius potentiæ nixu & sese sustentarunt, & omnem vim externam respuerunt, tandem intestinis quassata conuulsaq; motibus corruerunt.

Nunc ad Conradum venio: ad hunc de iudicio & sententia Henrici Sancti scribunt esse Imperium delatum, cum post interregnum biennij discordantium inter se Principum sententiæ tandem in eum consensissent, rem promouentibus Episcopis Mogun-

tino & Bambergense, refragantibus pauris: inter quos Conradus patruelis Imperatoris Imperium ambiebat: Ernestus verò priuignus Imperatoris Sueuiæ Dux, & Guelphus Dux Bauariæ Occidentalis, partes ambientis contra iam designatum Imperatorem fouebat, sed horum molitiones initio cæterorum ope facilè retudit Imperator, quæ tamen illo in Italia absente rursus sese commouerunt.

Inuctus à Muguntino, mox comitantibus Regibus Rodolpho Burgundiæ, qui erat Giselæ vxoris auunculus, & Canuto Cymbrorum, Italiam adijt, vt compesceret ad defectionem cupiditate libertatis inclinatos, & Italiæ occupatione confirmaret recenti constitutione traditam Germanis Imperij possessionem ac proclamaretur Imperator. Priusquam excessit è Germania, Henricum filium annum agentem XII. declarauit Imperatorem atq; eundem tertio anno pòst Henrico Bauaro fratre Sanctæ Cunegundæ extincto, collocauit in Ducatum Bauaricum.

Ex Italia reuersus, denuò bellum mouit in eos, qui conspiratione renouata res patriæ ipso absente turbarant. Ernestum, cum non quiesceret, tandem satellites Imperatoris biennio pòst fusum acie fugatumque, & in sylua circumuentum atq; conclusum, interfecerunt.

Autores sunt, qui affirmant antiquissimas in Sueuia gentes fuisse Gibellinorum & Guelphorum, interq;

terq; sese capitalibus semper odijs dissedisse, etiam ante Imperatorum & Pontificum dissensiones, illis Imperatori adhærentibus, his aduersantibus: & vtrasq; tandem velut colonias, Sueuorum temporibus in Italiam traductas esse, ibidēq; veterum discordiarum semina sparsisse & aluisse, ijs qui Gibellinorum nomen profitentur, Imperatorias, Guelphis Pontificias partes bello paceq; acriter tuentibus.

Harum factionum memoria adhuc in Italia durat, scissis in diuersum ciuium animis, Gibellini ab oppido Sueuiæ Vueblingen, vbi Fridericum Barbarossam natum tradunt: Guelphi à stirpis conditore nomen traxerunt. Si quis principia gentis vtriusq; altius repetat, Gibellinos cognoscet Francis protreatus, & Sueuiæ, cùm Alemannia Francorum armis domita est, insitos esse, vt præessent ac dominarentur: Guelphos, origine seu Sueuos seu Alemannos, retinuisse auitas & patrias sedes ea conditione, vt nouis dominis subiecti essent atq; parerent: Ex ea verò mutatione nata odia, ac nouis subinde iniurijs vel æmulatione potius exacerbata magis magisq; atq; aucta, ita ætate inueterasse peneq; occanuisse in animis vtrorumq;, vt sanari nunquam potuerint. Apud Italos, Sueuis Imperantibus, vtraq; factio primùm innotuit & inoleuit.

Ex Gibellinorum veterum prosapia, quæ origine Francica est, ortum esse prodiderunt hunc CONRADVM Secundum. Vuelphus nostra lingua

lingua catulum significat, Prosapiam Vuelphorum, quæ initio angustas sedes habuit ad Altorfum & Rauenspurgum oppida Sueuiæ, illustrauit primus Vuelphus, cuius filia Iuditta nupta LVDOVICO Pio peperit CAROLVM Caluum. Fratribus Iuditæ RODOLPHO & CONRADO genitus Etycho reliquit filium HENRITVM & Ludgardam filiam nuptam LVDOVICO Germanico Bauarorum & Franciæ Regi. Hic LVDOVICVS HENRICO affini in Bauaria attribuit, quæ à Lico ad Ambronem, & à Gelone amne ad Alpes Pennias pertinent. Hec fuerunt principia Vuelphorum in Bauaria. HENRICO patre nati sunt CONRADVS Episcopus Constantiensis, Etycho conditor stirpis dominorum Suitensium in Rapoldsuuill, & Rodolphus pater Vuelphi, quĕ secundū aliqui, aliqui primùm nominat, quòd scilicet inter illos, qui Bauariæ partem obtinuerunt, sit primus. Huius ex RODOLPHO filio nepos fuit VVELPHVS Secundus, qui electioni CONRADI Secundi aduersatus est. VVELPHO Secundo ex coniuge Irmengarda, quæ soror fuit diuæ Cunegundæ Augustæ, natus est VVELPHVS Tertius, & Cunegunda filia, quæ nupsit Asoni Marchioni Ferrariæ. Cùm autem frater Cunegungæ Vuelphus Tertius moriens non reliquisset masculam sobolem, mater obtinuit apud Henricum Quartum, vt auunculi hæreditas caederet nepoti ex filia Cunegunda Vuelpho filio Asonis Ferrariensis: quem etsi postea Imperator proscriptum rursus Ducatu monuit, quòd ad Pontifices se contulisset contra ipsum: tamen cùm ab illis rursus discessisset, post viginti annorum exilium restituit. Hic Vuelphus pater est stirpis Ducum Brunsuuicensium & Luneburgensium, vt suo loco dicetur: & tenuerunt Bauariam Vuelphi annos centum & nouem. Hæc de Gibellinis & Guelphis, deq; Guelphorum origine monuisse hoc in loco satis est.

CONRADVS pacata Germania bellum fecit Stephano Vngarorum Regi, repetenti Bauariam hoc prætextu, quòd filio eam assereret nato ex sorore HENRICI Sancti. Hoc bello post vltro citroq; datas acceptasq; clades morte Emerici filij finito, res ad pacificationes deducta est. Inde turbatam à Miescone Poloniam, qui fratrem OTTONEM regno pepulerat, in tranquillum restituit: & tumultuantes Francos, Gallos, ac Boiemos compescuit. Fuit enim virtus & potentia adhuc tanta Imperatorum Germaniæ, vt vicinis Regibus formidabilis esset, & vt cæteri Imperatorem tanquam summum Monarcham orbis Christiani agnoscerent ac venerarentur.

Cùm autem delegatum ipsi testamento regnum Burgundiæ à RODOLPHO Rege, qui interea decesserat, OTTO Belgici Præses intercepisset, quòd RODOLPHI nepos esset ex sorore: Conradus

dus illi deuicto Burgundiam omnem vsq; ad Rhodanum fluuium ademit, & rursus cum Germania coniunxit. Ab eo tempore Imperatores Germanici iura & titulum regni Arelatensis vsurparunt, quæ CAROLVS Quartus alienauit. Desijt erga Burgundia regnum esse, cum post mortem CAROLI Calui per annos centum quadraginta quatuor suos Reges habuisset, decem ordine, inde vsq; à RODOLPHO fratre Bosonis Regis Italiæ, filio CONRADI Comitis cuiusdam in Burgundia, qui à CAROLO Calùo constitutus Dux Burgundiæ, eo mortuo sub ARNOLPHO regium nomen vsurpauit. Sed aliquanto pòst Burgundia in tres est partes discerpta, OTTONIS Belgici posteris vnam partem, Comitum titulo circa Vesontionem, Guidone Grosso alteram Ducum titulo, tertiam & maximam HVMBERTO Allobrogum Duce occupante.

Quòd autem interea Italia seditionibus turbata esset, Imperator cum exercitu in Italiam regressus, præter alias vrbes Longobardiæ Mediolanum obsedit & cepit: Episcopum seditionis autorem exilio mulctauit. Inde Apuliæ, Calabriæ, totaq; littorali Italia, quæ tunc erat Normannorum, perlustrata, & in fide erga Imperatorem Romanorum confirmata, rediit in Germaniam. Absente eo Belgici Præses violatis pactis atque conuentis in agrum Lotharingicum irruperat: sed iam cæsus erat à Gottelone Præfecto Impe-

Imperatoris ad Tullum vrbem Leucorum. Quare reuersus in Germaniam Imperator, Burgundos Solodurij in verba filij Henrici iurare coegit, & Hermanno Duce Sueuorum peste extincto in Italia, Ducatum tradidit Ottoni nepoti Ottonis Tertij Imperatoris ex sorore, agnato Hermanni: tandemq; pridie nonas Iunij repentina inopinataq; morte decessit, anno Imperij decimo quinto.

Anno Christi Saluatoris millesimo, tricesimo nono: Anno Mundi, quinquies millesimo primo.

Corpus sepultum est Spiræ in Templo, quod extruere cœperat magnificè, vbi adhuc patris, filij, & nepotum monumenta visuntur, cum hac inscriptione.

Filius hîc, Pater hîc, Auus hîc, Proauus iacet istic.

Hîc Proaui coniunx, hîc Henrici senioris.

De stirpe huius CONRADI non conuenit inter omnes. Aliqui originem referunt in EBERHARDVM fratrem CONRADI Primi: Aliqui in CONRADVM Sapientem generum OTTONIS Magni, quem in prælio contra Vngaros ad Augustam cecidisse suprà docuimus: Sed dissimiliter. Nonnulli pronepotem faciunt CONRADI Sapientis ex filio OTTONE, nepote HENRICO: Aliqui abnepotem eiusdem ex OTTONE filio, nepote Cunone, pronepote Hermanno: sed quæ

sue-

fuerit origo CONRADI Sapientis non annotant. Ergo, vt supra dixi, è primi CONRADI prosapia descendisse eum ratiocinor. Cognominatus est Saliquus, quòd originis esset ac sanguinis Francici à Francis Salijs veteribus accolis Salæ amnis, qui & nomen hoc genti tribuit. A Francis Salijs verò vt autoribus profectum est nomen legis Salicæ, cuius verba sunt:

In terra Salica mulieres ne succedant.

Fit eius mentio in libro Feudorum: & retinuit eam legem regnum Franciæ constantissimè, nec vllis eam familiarum mutationibus labefactari passa est.

Fuit autem vir præstans hic Conradus & Princeps salutaris, qui maiorum exemplo & Ecclesias fouit, quanquam iam multiplici superstitione obrutas, & acceptum à maioribus Imperium virtute ac sapientia stabiliuit, restitutione Burgundiæ auxit.

Dixi & de Giselæ prosopia variare autorum sententias: Plerique tamen eam decimo quarto gradu CAROLVM Magnum attigisse affirmant, sed non enumerata maiorum serie. Superuixit marito annos quinq, mortua anno Christi millesimo quadragesimo quarto, decimo sexto Calendas Martij. Tertio eam nupsisse diximus CONRADO Imperatori, cum primùm Brunoni Marchioni Saxoniæ LVDOLPHVM filium: deinde Ernesto Sueuiæ gemellos, Ernestum scilicet sedit iosum, & Hermannum peste

peste in Italia extinctum, peperisset. Habuit Giselæ agnatum LVDOVICVM nomine ex veteri stirpe Francica, cui nonnulli tribuunt titulum Comitum Aurelianensium. Huic CONRADVS intercessione coniugis impetrauit ab Hugone Episcopo MOGVNTINO fratre partem quandam Turingiæ, Huius LVDOVICI nepotem auo homonymum postea Lotharius Imperator Comitem prouincialem, seu vt vocant Landgrauium Turingiæ constituit, auctis opibus & ampliore ditione.

Meminerunt etiam historiæ circa hæc tempora OTTONIS Tertij, HENRICI Secundi & CONRADI Secundi, Præfectorum limitis Orientalis, seu Marchionum Austriæ: & nominatim quidem Bertoldi, quem in eam prouinciam collocauit OTTO Tertius, & filiorum eius ALBERTI, HENRICI & ERNESTI, ALBERTVS patri successit, ERNESTVS Ducatum Sueuiæ adeptus est.

HENRICVS, cum Austriam administraret tutorio nomine, fratre ALBERTO defuncto, opposuit se HENRICO Sancto. ALBERTO genitus LEOTOLDVS, CONRADO & filio eius HENRICO Nigro imperantibus, PETRVM Vngariæ Regem, quem post Emerici filij mortem Stephanus Rex Vngariæ adoptarat, mandato Imperatoris reduxit in regnum, vnde ab Ouone quo-

dam Tyranno fuerat pulsus. Hæc stirps Marchionum Austriæ ab ALBERTO Bambergense, vt aliqui prodiderunt, propagata, tenuit Austriam vsq; ad familiam comitum Habspurgensium, quæ nunc rerum potitur in imperio: Sed aliquanto post nomen cum dignitate mutauit, pro Marchionum nomine Ducum titulo & dignitate aucta, vt suo loco dicetur.

HENRICVS TERTIVS IMPERATOR cognomento Niger.

HENRICVM cognomento Nigrum, quem alii qui Secundum, excluso scilicet ex Imperatorum numero HENRICO Aucupe, quod Italiam non adierit, aliqui tertium nominant: Huius ergo CONRADVS pater procerum consensu designauit successorem, cum esset Italiam petiturus. A morte patris Imperium capessentem duo grauia bella exceperunt, quorum priore Boemos, qui noui Imperatoris autoritate spreta, Vratislao Duce. annua tributa contumaciter detrectabant Vngaricis auxilijs freti: hos ergo altero prælio (cum primam expeditionem intercluſa obseptaq; syluarum succisione itinera reddidissent irritam) grauiter afflictos coëgit solutis tributis pristino sese iugo rursus subdere. Altero reduxit Petrum Vngariæ Regem, Stephani nepotem, quem inuisum suis & suspectum ob studium & affectionem erga peregrinos, Christianæ religionis causa & quòd insolentius atque crudelius multa faceret de consilio paucorum, ex quibus pendebat; Quo quidam conspirationis Dux regno pepulerat. Huic Ononi primùm opera Leopoldi Marchionis Austriæ, qui à rebus felicitee contra Vngaros gestis, fulmen terrorq; Vngaricæ gentis cognominatus est, magna regni Vngarici parte exuto, & pacem simulata humilitate supppliciter petenti, clementer ignouit. Postea cum violata fide bellum atrocius redintegrasset, magno prælio victum ad Scaurimum, quod hodie Iaurinum est, in fugam coniecit: in qua alij obtruncatum eum ab Vngaris, alij captum deductumq; ad Petrum, & de sententia procerum regni supplicio capitis mulctatum scribunt. Pugnatum est anno Christi millesimo quadragesimo quarto, quarto Nonas Iulij. Sed cum de pristina sæuitia Petrus nihil remitteret, nec repudiata Christiana religione vellet redire ad veterem suæ gentis Vngarorum conspiratione, qui ad regnum Andream Petri cognatum ab exilio reuocârant, oppressus & excecatus, diem clausit extremum Albæ regiæ.

Interea domi turbarat patriam Godefridus Lotharingiæ Mosellanæ Dux, mito fœdere primùm cum vicino Franciæ Rege, postea cum Balduino Flandriæ Comite, coacturus Imperatorem armis, vt excluso fratre Gottolone Ducatus partem vtramq; soli sibi concederet. Hanc Ducis perfidiam etsi ægrè tulit, tamen culpam confitenti ac deprecanti veniam dedit: & carceri eum cum includisset in arce vicina Saliuis

Saxonicis, quæ nunc est Archiepiscopi, rursus dimissum adiunxit LEONI Nono Pontifici ad reprimendos Normannos.

His bellis domi occupato Imperatore, commouerant Italiam & vrbem Romam tria teterrima monstra seditiosa & scelerata de Pontificatu contentione, contra leges traditas & confirmatas ab Imperatoribus, scilicet BENEDICTVS Nonus, SILVESTER Tertius & GREGORIVS Sextus. Hanc contentionem Imperator diremturus, & contumacem audaciam ac scelera, quibus certatim alter alterum depulerat, vlturus, Italiam adijt, deiectisq; sententia Synodi, quam autoritate Imperatoria celebrauit, & sacro ordine motis vniuersis, suffecit Suidigerum Episcopum Bambergensem, qui Clementis Secundi nomen assumsit.

Eodem tempore cùm alia statuit ad Imperij tranquillitatem necessaria: tùm vetus interdictum de non creando Pontifice sine Imperatoris assensu denuo sanciuit, cuius abrogandi causa nihil non mouerunt Pontifices.

A Clemente renunciatus Imperator, exercitum duxit in Italiam vlteriorem, vbi inter Normannos & veterum Longobardorum reliquias bella erant: quibus compositis, præsidijsq; dispositis, quæ vtrosq; in officio continerent, & Normannos, si pergerent tumultuari, compescerent, exercitum in Germaniam reduxit. In ea expeditione cum HENRICVM Bauariæ Ducem nepotem ex fratre Diuæ Cunegundæ, OTTONEM Sueuiæ Ducem, OTTONIS Tertij ex sorore nepotem, Hermanni Sueui, cui successerat, agnatum amisisset: Illi CONRADVM quendam, huic OTTONEM Schuueinfurt successorem dedit.

Nondum reuerso in Germaniam Imperatore CLEMENS Secundus veneno sublatus decesserat, moxq; post illum alter Damasus. Tertium ergo ante discessum ex Italia constituit Pontificem cognomento Leonem Nonum. Hic secutus Imperatorem in Germaniam, cum Moguntiæ in frequenti Synodo, quam Imperator indixerat, eius loci Episcopo sese anteferret, hoc sua iura allegante ac tuente, cedere coactus est. Nondum enim Pontifices Romani Tyrannicè imperabant Episcopis cæteris, & multò minus Imperatoribus, quorum autoritate & patrocinio nitebantur & consistebant: Sed postea hanc tyrannidem sæpe quidem antè appetitam, & mirificis artibus quæsitam, bello etiam & seditionibus tentatam, nunquam tamen obtentam, tandem Henrico Quinto huius Tertij nepoti crudeli perfidia extorserunt, quam successor Lotharius confirmauit.

Post reditum ex Italia duabus expeditionibus ANDREAM Vngariæ Regem, vt Petri necem vlcisceretur, frustra aggressum esse: & cum Henrico Franciæ Rege ad Burgundiæ fines fœderis feriendi causa conuisse: & CONRADVM Bauarum

uarum, ob malè & crudeliter administratam prouinciam, & inita cum Vngaris fœdera, exilio puniuisse scribunt. Vngari pacem mulcta pecuniaria redemerunt, annua pensione & auxilijs promissis, sicubi foret opus.

Conradus in exilio perijt, cuius loco Bauariam filio, Henrico tùm bimo destinauit, cum obtinuisset, vt ab ordinibus Imperij Imperator crearetur: quod factum est anno Christi millesimo quinquagesimo secundo, cum nouus Imperator Henricus Quartus natus esset anno præcedente quinquagesimo primo, vel, vt tradunt nonnulli, quinquagesimo tertio, Idus Nouembris: quæ res ἀφορμὴν & occasionem præbuit mutationibus, quæ secutæ Germaniam ita afflixerunt, vt penè totam euerterint, & maiestatem Imperatorum conuulserint, Pontificum tyrannidem extulerint.

LEONI Pontifici in Italiam reuertenti magnum exercitum addidit, Duce Godefrido Lotharingo, cuius antè meminimus, qui augescentem Normannorum potentiam retunderet, cum illi ab ijs etiam, quæ Imperij erant, non abstinerent. Sed cum Godefridus, rebus contra hostes non admodum feliciter gestis, potitus esset nuptijs Beatricis, viduæ Bonifacij Marchionis Italiæ, & videretur aspirare ad maiora, Imperator metuens dubiam turbulenti & ambitiosi hominis fidem, ipse cum exercitu in Italiam rediit, rebus turbatis opilaturus & GODEFRIDVM

FRIDVM vt à molitionibus suis desisteret territus. Ante hoc iter filium quadrimum Aquisgrani in Imperatorem coronauit.

In Italia annum integrum commoratus, & rebus omnibus compositis, reuersus exercitum instruxit contra Sclauos Lusatios, qui ad internetionem cæsus est: Quam iacturam cum grauiter tulisset, non ita multò post ægritudine correptus, diem suum obijt, buccella panis grandiore, vt nonnulli tradunt, suffocatus, tertio Nonas Octobris: Anno à nato Christo ex Maria virgine millesimo quinquagesimo sexto: Anno mundi quinquies millesimo decimo octauo: cum imperasset annos decem & septem, vixisset quadraginta: Princeps bonus & salutaris, clemens erga deuictos, hostibus formidabilis, qui postremus maiestatem Imperij, & iura contra Pontificum artes ac molitiones & defendit acriter, & conseruauit feliciter: Conditus Spiræ prope patrem Conradum, quinto Calend: Nouemb. quo die natus fuit.

Vxores habuit duas: Primam Cunegundam Anglicam, Cynetonis Regis Anglici filiam, de qua dissimiles extant scriptorum sententiæ, alijs peste extinctam ante nuptias, alijs repudiatam ob suspicionem adulterij affirmantibus: Alteram Agnetam filiam Vuilhelmi Pictauiensium Principis & Aquitaniæ ducis. Ex hac nati ei filij duo, Henricus Quartus Imperator, & Conradus, cui pater Bauariam attribuit: Sed hic non diu patri superuixit: Filiæ tres

quarum primam Iudittam despondit SALOMONI filio Andreæ Regis Vndariæ. Altera Mathildis nupsit Rodolpho Comiti in Reinfelden Sueuorum Duci: Tertia Itha Leopoldo Quarto Marchioni Austriæ, & Duci Sueuiæ.

HENRICVS QVARTVS IMPERATOR, cognomento Senior.

ANnus inijt à nato Christo, millesimus quinquagesimus septimus, ab instaurato per Carolũ Magnum Imperio Occidentis ducentesimus quinquagesimus septimus, quando Henricus Quartus puer septennis Imperium adijt. Primùm autem in hac historia considerentur fatales periodi regnorum, quas & Propheta Daniel definit, & series historiarum ostendit rebus humanis insignes afferre mutationes. Ferè enim aut integra quingentorum, aut dimidia ducentorum quinquaginta annorum periodo circumacta accidere solent mutationes quasi fatales, non regnis solùm & Rebuspublicis, sed etiam Ecclesiæ: quæ quales inciderint in hæc tempora, eò diligentius cognosci debent, quòd inuexerunt in Ecclesiam regnum nouum politijs simile, & ab illo Christi regno, quod promittunt & describunt literæ sacræ diuersissimum,

Ecclesia inde vsq; à prædicatione Apostolorum, anno millesimo completo, & periodum inchoauit tertiam & doctrinam, disciplinam, atq; formam ipsam gubernationis, in nouam prorsus & priori dissimilem commutauit. Prima Ecclesiæ quasi renascentis ætas prioribus annis quingentis tanto fuit integrior & purior, quanto Apostolis & horum auditoribus propior: Et quanquam certamina sustinuit grauissima cum Ethnicis & hæreticis multiplicibus: vicit tamen sinceritate veræ doctrinæ defensa, confirmataq; exemplis confessionis ac testimonijs constantiæ, inter exiliorum ærumnas & in ipsis supplicium cruciatibus: erroribus contra explosis ac profligatis. Sub extremum seu senescens labeculam contraxit ex imuectis superstitione vulgi, & Doctorum nonnullorum errore vitijs, quæ postea in dilaceratione Imperij infusæ peregrinæ gentes cumularunt, cùm disciplina vetus laxata esset, & superstitiones creuissent: cuius generis fuerunt opiniones de monachatu, votis, cœlibatu, veneratione Sanctorum, & de similibus traditionibus humanis, quarum semina constat paulatim irrepsisse & adoleuisse post Synodum Nicænam, cuius propter tradita graui autoritate testimonia de controuersijs dogmatum & supplicijs plurimorum obsignata, præcipua semper fuit autoritas.

Etsi verò in hac ipsa Synodo & politica quædam ordinata sunt de gubernatione Ecclesiarum, vt ALEXANDRINVS Episcopus præesset Ecclesijs in Africa, Antiochenus Asiaticis, Romanus Europæis vicinis. Item, vt Episcopi ordinarentur à vicinis

cinis Episcopis. tamen nec politia constituta est Monarchijs similis: nec vllus ex Episcopis armatus est autoritate & potentia tali, vt cæteris posset, imperare: neq; hæc decreta in eum finem facta sunt, vt haberentur pro articulis fidei: quæ cum sint extra verbum Dei, & temporibus mutentur, sicut deleta sunt cum Ecclesijs ipsis illarum regionum, propriè non pertinent ad Ecclesiam, quæ non ad dogmata, cultus, aut leges humana autoritate traditas, neq; ad rituum, & politiæ externæ conformitatem ac similitudinem sed ad verbum Dei alligata est.

Non licuit aut Romano tunc, aut Antiocheno aut Alexandrino, indicere & conuocare Synodos, aut onera nouorum rituum alijs Ecclesijs imponere, multò minus noua condere dogmata, aut fingere cultus alios ab illis, quos requirit vox cœlestis: sed valuit sola autoritas verbi diuini: vt testantur aliquot piarum Synodorum decreta & sententiæ post Nicænam, quales fuerunt Constantinopolitana prima, quæ damnauit Eunomium: Ephesina, quæ Nestorium: Chalcedonensis, quæ Eutychen, & aliquot aliæ his posteriores. Sed hæ posteriores cum de dogmatibus rectè statuerint ac pronunciarint: legum tamen ac traditionum humanarum autaritatem ex ea superstitione, quæ iam inuaserat, nimium extulerunt, vt Laodicea, cum rectè damnarit Nouatianos, non rectè taxat digamos Laicos: Mileuitana Synodus, cui interfuit Augustinus, rectè defendit doctrinam de peccato

tato originali, de gratia & iustificatione: sed non rectè confirmat superstitiosam opinionem de votis: Anchyrana Synodus concessit coniugium Diaconis, postea in Carthaginensi consecuta est prohibitio. Ita paulatim inualuit superstitio, cùm pluris fierent & vrgerentur vehementius constitutiones humanæ, quàm diuinitùs traditæ.

Potestas autem congregandi Synodos, præsertim œcumenicas, semper fuit penes solos Imperatores: sicut & aliquot Principes, Constantinus, Theodosius & alij, conuocârunt Episcopos ad dijudicationes controuersiarum, & collationibus sententiarum ipsi interfuerunt ac præfuerũt. Hanc potestatem qui secuti sunt Imperatores longo ordine, ad Lotharium Saxonem vsq; conseruarunt & vsurparunt.

Secuta est deinceps ætas proxima, quæ accepta ex priore errorum ac superstitionum semina auxit & confirmauit, & paulatim longius discessit à norma verbi diuinitùs traditi, donec superstitionum & errorum multitudo lucem doctrinæ prorsus obtriuit & eximit. Cùm enim multæ barbaricæ gentes influxissent in Italiam, vt Gotti, Longobardi, & horum socij, non solum studia literarum conticuerunt, & Ecclesiæ sunt neglectæ: sed etiam illæ ipsæ barbaricæ gentes, quæ tenebant Italiam, secum inuexerunt aut facilè receperunt multas superstitiosas opiniones: Inde breui tempore valdè cumulati sunt abusus

Per-

Persecutiones primæ ætatis præbuerunt causam secessibus & Monachatui: postea accesserunt dilacerationes horribiles imperij, & Peregrinarum gentium confusiones. In illa dilaceratione Italiæ cùm videretur esse peculiaris felicitas abesse à Repub. procul in aliqua solitudine, degere sine familia, sine liberis, non spectare vrbium excidia, & vastationem patriæ: homines modesti, qui habebant familias, gratulabantur Monachis suam tranquillitatem: Inde creuit & opinio de cœlibatu & admiratio Monachorum, vt plures cœperint expetere & quærere secessus.

Deinde homines barbari natura mirantur nouos ritus, qui præ se ferunt speciem eximiæ pietatis, & cuiusdam quasi commertij cum Deo. Nihil mirum est igitur, tunc & Monarchorum cœtus creuisse, & opiniones de hoc vitæ & operum genere plausibiles latè vagatas esse, quæ tandem extinxerunt Euangelij lucem de vera fide & veris cultibus.

Grata fuit barbaris veneratio Sanctorum: postquam autem receptum erat semel hos statuis & templis peculiaribus ornare, creuit mos imitatione potentum: & paulatim accessit tantum impietatis, vt nihil differret veneratio Sanctorum à manifestis furoribus Ethnicorum.

Talia ergo cum iacta essent impiarum superstitionum fundamenta initio, & ætate confirmata iam altè insedissent in hominum animis, accessit publica auto-

ritas Gregorij Magni Pontificis Romani, qui Pontificatum adijt anno Christi quingentesimo nonagesimo tertio. Hic publicum ritum inuocationis Diuorum instituit, & ossibus ac pulueribus Sanctorum templa dedicari iussit: Auxit plurimum falsam persuasionem de Monachatu, & de operibus sine mandato Dei excogitatis, de satisfactionibus Canonicis, de votis, de cœlibatu, quo oneravit Diaconos Siculos, qui eò vsq; iuxta consuetudinem Ecclesiæ Græcæ & Synodorum veterum decreta, retinuerant coniugia in omnibus gradibus Ecclesiasticis. Irrepsit tunc etiam opinio de oblatione corporis & sanguinis Christi facienda pro mortuis, quæ horribilem peperit profanationem Sacramenti, hanc GREGORIVS comprobauit motus spectris.

Hi errores publica autoritate sanciti ac stabiliti magnam deinde traxerunt ruinam, quæ doctrinam de iustitia coram Deo & gratuita remissione peccatorum ac reconciliatione, de meritis Filij Dei, de vero cultu inuocationis, qui fieri debet fiducia vnici Mediatoris Filij Dei Domini nostri IESV CHRISTI, de vero vsu Sacramentorum, horribilibus erroribus, abusibus & idolatrijs polluerunt: Et vt semel dicam, doctrinam Legis diuinæ falsa de humanis traditionibus persuasione: Euangelij promissionem de beneficijs Filij Dei gratuitis, & Christo vno Mediatore & opitulatore, impio & blasphemo de meritis operum & cultuum humanorum, deq; intercessionibus

sionibus atq; auxilijs Diuorum figmento oppressam, prorsus deleuerunt. Ipsorum verò Pontificum Romanorum adeò creuit ambitio ac superbia, vt non, nisi velut in seruitutem redactis ac suæ subiectis tyrannidi Ecclesijs cæteris, conquieuerint.

Victor primus Pontifex circa annum nati Saluatoris ducentesimum, Ecclesijs Orientalibus nouas ferre leges, & has si recusarent, anathemate minitari fuit ausus: Huic acriter restitit Irenæus Lugduni Episcopus, auditor Polycarpi. Postea seruata est constitutio Synodi Nicænæ, autoritate CONSTANTINI Magni comprobata, vsq; ad tempora Mauricij & Phocæ Imperatorum: quibus quidam IOHANNES Patriarcha Constantinopolitanus, ex vita Monastica simulatæ humilitatis commendatione ad Episcopatum euectus, non contentus suo loco & munere, οἰκουμενικὸν dici, & cæteris superior esse voluit. Huic cum se opponerent Pelagius secundus, & GREGORIVS Magnus: assensit illi tamen MAVRICIVS Imperator. Sed Phocas, cum interfecto MAVRICIO metueret Italiæ defectionem ab Imperatoribus Græcis, vt per Pontifices eam retineret in fide, titulum hunc GREGORIO detulit: qui cum tragicè declamitet se ab horrere ab vniuersalis Episcopi appellatione, id se tamen quòd titulus profitetur, vehementer cupiuisse re ipsa declarauit, cum Imperium in alienas sibi Ecclesias sumserit. Certârant tamen de principatu cum Græcis & Afris

Afris etiam antè Mauricium Sosimus & Gelasius sed conatu irrito. Post GREGORIVM, eundem titulum sibi vendicauit Episcopus Rauennas, cum grassantibus in Italia Gottis, & Roma capta ac vastata, VALENTINIANVS iunior Imperij sedem collocasset Rauennam, & missi ad defensionem Italiæ Exarchi eandem munijssent: Sed hoc oppresso post GREGORII mortem, idem certamen inter Romanum & Græcum Episcopum recruduit sub BONIFACIO tertio, & agitatum est vehementius, cum quidem causam agnoscente ac disceptante Phocæ decretum factum est, vt titulus vniuersalis Episcopi, triburetur Romano. hoc decreto freti Romani Episcopi postea, cum Orientales Ecclesias deleuisset Mahometicus furor, paulatim augere suâ potentiam in Europa, frustra reclamantibus alijs Episcopis, Grecis præsertim: & cum gentes barbaras superstitione captas sibi deuinxissent atq; adiunxissent, confirmare sese magis magisq; atq; extollere harum assensu, collationibus & opera cœperunt,

Hæc initia fuerunt Monarchiæ Pontificiæ in Ecclesia: His occasionibus arripuerunt & occupauerunt primatum inter Episcopos, vsi occasionibus, quas attulerunt ruinæ atque interritus Ecclesiarum in Oriente, & inuectæ in Ecclesias Occidentales superstitiones atque Idolatriæ, quas nouæ gentes auidissimè arripiebant, impensè colebant, pertinaciter tuebantur.

Hoc potiti principatu, etsi ambitio eos, vt paulatim progrederentur, impulit: tamen initio nondum arbitrio priuato omnia administrare in Ecclesia & gerere, aut cæteris Episcopis tyrannicè imperare, & leges præscribere, atq; imponere onera, multò minus iura Imperatorum inuadere ausi fuerunt, refragantium Episcoporum aduersatione & Imperatorum autoritate ac potentia cohibiti: qui inde vsq; à Carolo Magno veterum Imperatorum exemplo, & creabant Pontifices atq; Episcopos, & loco atq; ordine suo indigna facientes rursus abigebant suffectis alijs, & Synodos cogebant, nec concedebant Pontificibus, vt ipsi vel indicerent vel gubernarent Synodos autoritate regia aut prætoria, vel sine Imperatorum & aliorum Episcoporum autoritate & consensu quicquam statuerent: Sæpe celebrabant Synodos in Germania & Italia Pontificibus non consultis, multò minus adhibitis.

Etsi verò hæc Pontificibus seruitus grauis admodum ac molesta fuit: eam enim vt excuterent, nihil intentatum reliquerunt: tamen quòd Imperatores intelligerent, quo consilio & initio hæc ita constituta essent à Carolo, legibusq; munita peculiaribus, & postea à successoribus crebrò renouata armisq; defensa: & quid molientur Pontifices quoq; si eam obtinerent licentiam ac libertatem quam affectabant, euasuri essent: & quantum ad Ecclesiæ & Imperij tranquillitatem ac stabilitatem referret, Pontifices

tifices Imperatoribus subditos atq; obnoxios esse: ne abiecto iugo eniti eò possent, quò vellent & contenderent, prohibuerunt, vsq; ad hunc Henricum Quartum.

Etsi autem hac secunda periodo errores, superstitiones, abusus & Idolatriæ ita inualuerunt, vt in maxima parte Orbis Christiani ad extremum lucem plurioris doctrinæ oppresserint: multi tamen fuerunt viri docti & pij omnibus temporibus, & plures quidem initio huius secundæ periodi vsq; ad medium & vltra, in Græcis & Romanis Ecclesijs, qui rectè senserunt & docuerunt de præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, etsi suos etiam habuerunt errores: vt Vigilius, Beda, Alcuinus Caroli Magni Præceptor, & alij. Iohannem Scotum Ludouici Pij seculo enarrantem libellum Dionysij de Hierarchia, & taxantem opinionem tunc receptam in Ecclesia de oblatione Cœnæ Dominicæ pro viuis & mortuis, discipuli graphijs confoderunt. Talis ergo fuit Ecclesia temporibus secundæ periodi.

Secuta est deinceps tertia periodus Ecclesiæ, quæ cœpit huius HENRICI Quarti ætate, in quam incidit dimidia Imperij, inde vsq; à CAROLO. Hæc insignem mutationem Ecclesiæ atq; Imperio attulit. Confirmata est enim tyrannis & superstitionis atq; Idolatriæ in Ecclesia, contra regnum, id est, doctrinam, cultumq; atq; inuocationem Filij Dei: & nouæ potestatis Pontificiæ, contra iustam & legitimam

potestatem Imperatorum: introductus est in Ecclesiam ad priores idolatrias & abusus cultus Idoli Maozim, quod occupauit in Ecclesia locum & honorem adorationis soli DEO debitum, & ad se oculos hominum mentesq; conuertit. Hoc sese in processionum & theatricæ Missæ spectaculis vndiq; ostentante, conticuit vox doctrinæ: hoc ordinis Ecclesiastici dignitatem euexit, amplificauit potentiam, auxit opes, muniuit regnum: Hoc Monasterijs compleuit Orbem Christianum, vbi infinita Monachorum agmina quotidiana sacrificia Missæ, & alia sua opera pecunia vendiderunt alijs, & velut in statione & excubijs pro regno Pontificio, non destiterunt alias ex alijs texere carnificinas conscientiarum, ad captas fascino Idolomaniæ, atq; irretitas multiplicium figmentorum laqueis mentes in eo carcere retinendas, in quo cruciatus conscientiæ, manibus commentorum & traditionum humanarum terriculamentis iniectos, sustinere difficilius fuit, quàm vllas corporum lacerationes. Inde creuerunt opes Monasteriorum in immensum. Prodijt & nouum Doctorum genus, quod doctrinam traditam in scriptis Propheticis & Apostolicis de peccato, de lege, de iustitia coram Deo, de operibus Deo placentibus, penè prorsus aboleuit, & abusum, errorum atq; idolatriæ regnum forumq; Indulgentiarum, nouis atq; ab analogia fidei Christianæ alienis præstigijs pinxit atq; defendit.

Im pe

Imperij maiestas & dignitas artibus Pontificum labefactata penèq; euersa concidit: quibus perfectum hoc est, vt non tantum Pontifices colla sua ingo Imperatorum subtraxerint, sed iura eorundem, præcipuè Ecclesiastica in creando Pontifice, constituendis Episcopis agendis Synodis, ad se traxerint, & hos sibi subiectos crudelem in modum pressérint atque exagitarint: vt Monarchia sit constituta, quæ complexa est totum Orbem Christianum: deniq; vt tota Ecclesiæ, Imperij, Romani & Germaniæ sit facies mutata.

Prima fuit cura Pontificum, vt cum sæpe antea frustra & infeliciter tentassent abrogationem Legis, quæ Imperatoribus tribuit potestatem in Pontificem & Episcopos, prætextum quærerent, quo accensis bellis ciuilibus, disiungerent Principes Germaniæ, et quos possent incitarent contra Imperatorem. Hoc perfecto, cum Germania arderet intestinis bellis, & conspiratione Saxonum distractæ fractæq; vires Imperatoris labascerent, cæperunt apertè idem flagitare. Id verò cum tandem obtinuissent multo Germanorum sanguine, & præcipuarum familiarum interitu: veteribus legibus & moribus abolitis, atq; Imperatorum potestate antiquata prorsus & abrogata, fatali quodam successu ius creandi Pontifices & Episcopos ad se transtulerunt, constituerunt q; Senatum, cuius suffragijs Pontifices legerentur, qui imperarent non Episcopis tantum, sed Monar-

bis ipsis & Regibus Orbis Christiani, & religiones ac res Imperij moderarentur suo iudicio, ex suis emolumentis ac dignitate, regnaq; & Episcopatus quibus vellent traderent & adimerent: Imperatores & Reges cæteri Orbis Christiani, velut satellites præsto essent Pontificibus, & ad eorum iussa hanc Monarchiam propugnarent contra hostes externos, ac prouiderent & præstarent ne quid domi detrimenti caperent: arma etiam ad ipsorum iussa, quoties opus esset, & contra quos illi vellent, strimgerent. Ad hanc audaciam, quæ successibus creuit ex dissidijs nostris, addiderunt flagitiosam ac detestandam impudentiam. Omnem enim tyrannidem, qua nulla maior de vllo vnquam ordine sacro cognita est, exercuerunt titulo autoritatis diuinæ & potestatis diuinitus concessæ, fastu planè Diabolico: sicut ostendit vox & exemplum Alexandri Pontificis ad Fridericum Imperatorem.

Talem adduxit Ecclesiæ & imperij statum periodus tertia: quem etsi multi præstantes viri hisce annis quingentis sæpe improbarunt & oppugnarunt voce & scriptis: constitit tamen sua nixus potentia, & fascinatæ multitudinis studio fultus, ac periodum compleuit annorum quingentorum, vsq; ad Lutherum: Tam diu enim Monarchia Romanæ Ecclesiæ stetit.

Hæc digna esse iudico, vt considerentur initio in historia HENRICI *Quarti, qui etsi acerrimè contra*

contra inualescentem Pontificum tyrannidem Imperatorum maiestatem & iura armis belloq; tutatus est, nec cessit quanquam proditus, destertus atq; oppugnatus à suis, & Pontificij anathematis fulmine ictus: tandem tamen fatali ruina Imperij oppressus succubuit. Cogitentur verò & causæ harum mutationum, quæ sunt Idolatriæ & alia peccata, quæ Idolatriam comitari consueuerunt, vt libidines turpes, parricidia & similia, Diabolo homines à Deo auulsos, & ire tuos errorum laqueis, impellente ex vno scelere in aliud. Punit enim Deus sæpe peccata peccatis, cæcitatem cæcitate, errores erroribus, & alijs sceleribus ac flagitijs, quibus ingraueſcentibus tantem totas gentes his pollutas, bello, fame, peste, & similibus pœnis publicis delet, sicut de gentibus PAVLVS *ait:* διὸ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς εἰς πάθη ἀτιμίας: *Item* παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς εἰς νοῦν ἀδόκιμον, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα: *qualia multa spectârunt & pertulerunt magno cum dolore & gemitu pij superiore seculo, & adhuc non tolerat tantum, sed etiam fouet & excusat regnum Pontificum.*

Væ terræ cuius Rex puer est, inquit Ecclesiastes: & inter comminationes diuinas apud Prophetam est, Dabo pueros Principes eorum. Id si vlla alia terra, certè Germania sub principatu HENRICI *Quarti experta est, Egit is annum septimum, cum pater à viuis excesſit, qui moriturus tutelam filij et gubernatula Imperij matri, curam & educationem eiusdē*

CONRADO cuidam nobili Sueuo commendauit. Mater annos quinq; res imperij prudenter administrauit: postea depulsa à gubernaculis conspiratione quorundam Saxoniæ Principum, abdidit sese in Monasterium. Abductum hi à matre filium fraude transtulerant in Saxoniam, consilium instruentibus & adiuuantibus Episcopo Colonienſe, & ECBERTO Saxoniæ Marchione, patruele Imperatoris: Ottone verò Saxone, cui nuper imperatrix assensu filij Bauaria cesserat, vt ab eo defenderetur, colludente. Huic rei prætexebant Imperium muliebre, & molliorem ac delicatiorem adolescentis in Gynæceo educationem, qua effœminaretur generosus animus ea ætate, quæ in gubernatione & negotijs militaribus esset exercenda: cum reuera insidiarentur Imperio, quòd se vel ita cum adolescente recuperaturos, vt pro eo omnia suo arbitrio iudicioq; constituerent atque administrarent: vel, si is interiret, consuetudine tamen imperandi interea ita confirmaturos esse sperabant, vt facilè id retinerent exclusis cæteris, freti scilicet potentia familiæ. Nam & Ludolphus Ecberti pater, Conradi auxilio, quæ Ottones tenuerant in Saxonia, post Henrici Sancti mortem, receperat vniuersa titulo Marchionum Saxoniæ: & recens Otto, Dux terrarum in Saxenia ad Visurgin, nouas intulerat in familiam vires, Bauariæ principatu beneficio Imperatoris ditatus: & multorum ei studia conciliârant recentes de Sclauis victoriæ. Fuit autem hic Otto vnus ex po-

ex posteris HENRICI I, fratris OTTONIS Magni Bauariæ Ducis, ECBERTI agnatus.

His ipsis annis pubertatis Henrici, in vitis esse deferant Conradus Carinthiorum, & OTTO Sueuorum Duces. Hos Ducatus pater Henricus Tertius promiserat Bertholdo Duci Zaringiæ in Sueuorum Brisgoia. Sed Henricus filius excluso illo ab vtroq; Carinthijs Ludolphum quendam cognatum suum: Sueuis Rodolphum Comitem in Reinfelden Ducem dedit, qui consilio & opera Rimoldi Episcopi Constantienſis recens potitus erat nuptijs Mathildis sororis HENRICI Quarti: Qua iniuria Bertholdus grauiter offensus cœpit de vltione cogitare: & fuit hæc seu præteritio seu exclusio Bertholdi non minima sequentium turbarum causa. Duces Zaringiæ nonnulli propagant ab Hugeberto fratre Ditbergæ coniugis LOTHARII I, qui filius fuit LOTHARII Imperatoris: nonnulli ab ERNESTO Sueuo suprà memorato. Prosapia eorum extincta est sub FRIDERICO secundo. Rodolphum Reinfeldenſem deriuant à Comitibus Auentici, qui sunt Habspurgenses.

Creuerat interea & licentia apud Saxones, militibus abusu indulgentiæ & licentiæ sub impubere Rege, à bellis ad latrocinandi consuetudinem conuersis. Horum numerus auctus magnæ multitudinis cõcursu,

cum nactus esset Ducem idoneum, OTTONEM fratrem ex ignobili concubina Vuilhelmi Marchionis Turingiæ, grassari iusto exercitu, pulsisq; Principibus, igne ac direptionibus deuastare Saxoniam cœperat, Hunc latronum exercitum Bruno & Ecbertus fratres Marchiones Saxoniæ, copijs Imperatoris adiuti, supra Mersburgum dissipârunt ac deleuerunt, cum quidem Imperator puer, ad exercitum in terrorem hostium adductus, non procul à conflictu substitisset. Ceciderunt in eo prælio BRVNO ECBERTI frater, & latronum ductor Otto, cuius in Turingia hæreditatem adijt ECBERTVS Saxonum Marchio, qui etiam paulò pòst mortuus est relicto filio Ecberto, quem Echardum alij nominant, Condidit Ecbertus ille collegium Canonicorum in oppido Namburgo, sede Episcopali Cyzico eò translata.

Sed sedari hæc initia malorum ab Imperatore, vbi adoleuisset, & sanari offensiones potuissent, nisi accessissent alia maiora. Ijsdem enim occasionibus ex imbecilliore ætate Imperatoris, insana ambitio & Romano Imperio fatalis furor Pontificum accensus, denuò sese & multò quàm antè vehementius commouerat, ad tentandum denuò potentiæ Pontificiæ amplificationem & Imperatorum oppressionem, Hildebrando, qui se Gregorium septimum nominauit, fiducia Normannorum contra leges veteres, quæ Paulò antè HENRICVS Tertius renouârat, audacter transferente ad se ius atq; potestatem constituendi de electione Pontificum Ordinandiq; Episcopos, ac prohibente, vt peteretur confirmatio ab Imperatore: quod exemplum cum successores, Desiderius Vibanus & Paschalis imitarentur, & incitarent Episcopos & Principes in Imperatorem sua iura tuentem, Germania odijs inflammata mutuis, suisq; inter se viribus crudeliter collisa, non tantum ex mutuis cædibus suo inundauit sanguine, sex exhausta viris, enerunataq; belli ac dignitatis præsidijs penè interijt.

Prætexuit Pontifex nouæ tyrannidi liberiorem vitam & dissolutiores mores Imperatoris adolescentis, quem cum auulsus à matre veluti à custode sui iuris esse cæpisset, ex occasione liberioris vitæ degenerasse in luxum & lasciuiam, Pontificum assentatores declamitant: Fatentur tamen indulgentia potissimum Episcoporum id factum esse, quibus regendi formandiq; adolescentis cura demandata fuit, & accusatur præ cæteris Bremensis Episcopus. Alij etsi aliquid desiderant in moribus primæ adolescentiæ Imperatoris: tamen in Pontificibus ambitionem, superbiam, & cupiditatem dominandi grauius & verius accusant: Vt maximè enim fuerit adolescentia Imperatoris dissolutior: nulla potuit tamen vllius, vel diuini, vel humani iuris specie, Romanus Pontifex, nec debuit propterea, rapta & occupata tyrannide in Ecclesia & Imperio, conuellere & euertere leges diuinas, &

humanas, demoliri aut saltem labefactare Monarchiam Orbis Christiani, bellis ciuilibus committere inter se Principes Germaniæ, & prætextu impiæ religionis, sæuitiam exercere in optimos Principes & Reip. amantissimos, quauis Cyclopica crudelitate immaniorem.

Sed redeo ad HENRICVM. Hunc fata ruentis Imperij annum agentem decimum tertium penè puerum è cunis extruserunt ad gubernacula, obiectum crudelissimis suorum odijs, perfidiosissimis Pontificum machinationibus, & callidissimè structis insidijs, difficilimis bellis externis ac domesticis, quibus patria conflagrauit: per ætatem tamen nulla re parem ijs auertendis aut amoliendis, quæ vndiq; parabantur & intentabantur vi & fraude, in Reipublicæ perniciem. Ex domestica matris disciplina protinus in aciem productum, velut ex vmbra in lucem, contra fortissimos hostes, & dimicando fortunam belli experiri, priusquam arma aut gestare posset, aut tractare didicisset, & Imperatoris obire præstareq; munus oportuit, priusquam quæ militem decerent, cognouisset.

Primo auxilium tulit SALOMONI Vngariæ Regi, affini suo, quem Bela regno exegerat. Hunc magna strage copijs Belæ fusis disiectisq; reposuit in regnum. Inde in Sclauos Lusatios mouit: à, quo bello feliciter confecto reuertentem exceperunt seditiosæ conspirationes Saxonum, quas non habuisse aliam causam

tamsam reperio, nisi odium Imperij alieni, conceptum ex opinione & fiducia generis sui, confirmatumq; dolore repulsæ, quòd præterirentur ab Imperatore in gubernatione, & de negocijs Imperij, quòd consilia communicarentur cum alijs secus ac sperarant. Accessit deinde innata genti libertatis cupiditas, quam longi temporis licentia acuerat. Huic aduersabantur qui res Imperij pro Imperatore administrabant ac moderabantur, illo vel propter imbecillitatem ætatis, vel nimio studio suarum voluptatum, si modò, quæ de eo scriptis Pontificiorum prodita leguntur, vera sunt, non tantum negligente gubernationis curam, sed nimium permittente atq; indulgente illis, ex quibus pendebat. Consentaneum est etiam, hos ipsos multa iniustè, auarè, & insolenter, ex affectibus vel commodis suis statuisse ac fecisse, concessæ potestatis abusu, quæ irritatis & alienatis antea, προφασιν præbuerunt speciosissimum ad Imperatorem criminandum. Vsitatum est enim errata in gubernatione ab alijs commissa adscribere & imputare Principibus, quos opinio est corrigere multa ac mutare posse, si res ipsi cognoscerent & administrarent, vel suo iudicio, vel admoniti. Sed postea, vt fit, semel exulceratis animis, accesserunt plures aliæ causæ.

Autor & Dux conspirationis fuit OTTO Bauariæ Dux, quem paulò ante Imperator ablegârat in Italiam cum Episcopis, Colonienſe & Tridentino, vt obli-

obligatam iurisiurandi religione Italiam confirmarent in fide erga Imperatorem, & exigerent tributa vsitata. In eo itinere, quod familiarius se insinuasset Principibus Italicis OTTO, venit in suspicionem affectati Imperij, nec temerè. Socios primos conspirationis habuit Episcopos Magdeburgensem & Halberstadensem, MAGNVM & HERMANNVM Saxoniæ Duces, Vdonem primum Marchionem Brandeburgensem, ECBERTVM Marchionem Saxoniæ, & alios. Hos cum primo occursu fudisset ad Onestrum Turingiæ fluuium, auxilijs RODOLPHI Sueui, Vuelphi Bauari, Godefridi Lotharingici, ERNESTI Marchionis Austriæ & aliorum: RODLPHVS bellum diremturus sese interposuit, & Saxonibus, si positis armis deditionem facerent, persuasurum se Imperatori promisit, ne quid in illos durius statueret. Id cùm non obtinuisset, Principibus deditione captis, & in vincula coniectis, sed è custodia rursus elapsis, animi vehementius incanduerunt, & odia magis sunt exacerbata. OTTO Bauarus, etsi prælio non interfuit, conuictus tamen de insidijs vitæ Imperatoris structis, Bauariam amisit, occupante eam Vuelpho, beneficio & concessione Cæsaris: Quare accensus OTTO, percursa Germania, quos potuit ad belli societatem concitauit.

Edixerat iam tum GREGORIVS Pontifex Episcopis contra leges antiquas, ne distribui Episcopatus

patus ab Imperatore paterentur, qui conferret vel indignis, vel non idoneis: neue ab Imperatore in posterum peterent sui confirmationem, & multò minus ab hoc tot, vt ferebatur, contaminato vitijs: Pertinere curam illam & ordinationem non ad Principes politicos, quos rerum sacrarum deliberationem, tractationemue attingere nefas sit, sed ad sacrum ordinem & huius Præsidem inprimis Pontificem Romanum. Quæ res propter libertatis & potentiæ maioris spem Episcopis gratissima, Pontificibus ad eam tyrannidem adipiscendam & exercendam, quam affectârant dudum, accommodatissima erat. Id circo facilius assenserunt Episcopi, & Pontificios conatus libentius adiuuerunt. Ad eas enim opes, quas ex maiorum pia beneficentia iam antè possidebant maximas, ex hac constitutione hoc accedere intelligebant, quòd religiones & res imperij in posterum moderaturi, & alterum in curia pedem, alterum in Ecclesia habituri essent.

Formula Gregoriani Decreti extat q. 16. cap. 7. Hoc edicto, quod fax fuit incendij, quo maiestas Imperij absumta est: hoc ergo fissa Germania discessit in partes. Saxones enim protinus ad Pontificios partes concesserunt, impium & tyrannicum edictum amplexi, eo quòd Imperatorem odissent, & sublatum cuperent quicquid euenerit de Imperatorum iure, auctoritate, & potestate: cui enim soli bello pares esse nequi-

nequibant, eo se Pontificij anathematis fulmine armatos facile superiores fore confidebant.

Imperator Romam Pontifice citante profectus, vt relegiosæ humilitate crimina, quibus prægrauatus erat, partim excusando dilueret, partim pœnitendo expiaret, dum statutas atq; inditas tyrannica Pontificum sententia pœnas pro ipsorum libidine luit, ad valuas & limina templorum sese volutato, domi Pontificis & Saxonum conspiratione Imperio excidit. Interea enim Pontifex, vt alienaret ab Imperatore studia nationis Germanicæ, quem hanc tyrannidem & hos conatus vltuxum esse sciebat, decretum in Germania promulgarat, quo Henricum ex Ecclesia proscripsit: & miserat hortatu Saxonum ad Rodolphum Sueuorum Ducem nouo & inusitato exemplo coronam auream cum hac inscriptione:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Et præceperat Episcopis, Moguntino atq; Colonienſi, huuc, deserto altero, vt complecterentur, ac sicubi opus esset instruerent.

RODOLPHVS etsi alienum à boni ciuis officio videbatur, Principis, cui fidem dedisset, maiestatem lædere, & talis Principis, à quo affectus esset maximis beneficijs: persuasus tamen Episcoporum argumentis, quæ in speciem plena pietatis erant, non seruandam esse fidem excommunicato, quo cum nulla iuris aut officij societas esse debeat, ne iudicaretur contra religionem facere, si non obtemperaret Pontifici

tifici suscepit Cæsaris titulum. Moguntiæ ergo coronatus mox Imperium inuasit, fretus & sua potentia, & studijs atq; auxilijs Saxonum bellumq; quanta potuit vi molitus est. Contulerunt se ad eum plures alij, aut veteribus aut nouis iniurijs Imperatoris irritati, vt BERTHOLDVS Zaringiæ Dux, VVELTHVS immemor acceptæ ab Henrico Bauariæ paulò antè, anno millesimo septuagesimo prima: Et præter hos Episcoporum magna colluuies, inter quos præcipui fuerunt Moguntinus, Colonienſis, Salisburgenſis, Vuirtzburgenſis, Magdeburgenſis & Halberstatenſis.

Rhenani contrà & Franci detestati & Pontificum & cæterorum, qui defecissent, perfidiam, Duce Godefrido Bilioneo, dum abfuit Imperator, quantas potuerunt copias ad Imperatoris defensionem coëgerunt: quibus Imperator, cum admonitus ab Episcopo Argentinensi clam ex vrbe Roma in Germaniam sese proripuisset, mox Rodolpho occurrit, immisso prius in Sueuiam nouo Duce FRIDERICO in Hohenstauffen, & Rodolphi præsidio Moguntia exturbato.

Conflixit cum Saxonibus nouem Instis prælijs: Quarto Rodolphus, profligatus & lethaliter sauciatus ad Elistrum Mysiæ, occubuit amissa dextra, anno Christi millesimo octagesimo, Idibus Octobris: Vbi cum tam expirauro dextra, quam in prælio amiserat, allata esset, nimis serò scelera & perfidiam Pontificii detesta-

detestatus: Hæc (astantium Episcoporum agmen allocutus) dextra est, inquit, qua Imperatori promissam fidem confirmaui: Hæc violatæ à me uobis impulsoribus fidei argumentum, & nefariæ perfidiæ uestræ testis est, de qua uobis rationes reddendæ erunt Deo. Dextram RODOLPHO in eo prælio præcisam esse perhibent à Godefrido Bilioneo.

Imperatorem, cum significatum esset, Rodolpho regium extrui monumentum, respondisse affirmant: Non se inuidere ei sepulturæ honorem sed optare se potius, ut hostes sui omnes talibus monumentis conditi sint.

RODOLTHO cæso totam belli molem è Germania conuertit in Pontificem, discordiarum facem, repetiturus occupata ab illo Cæsarum iura, & labefactatam autoritatem eorundem uindicaturus patris exemplo. Sed prius coacta Brixiæ Episcoporum Synodo, emissa anathematum fulmina à Gregorio, in autorem retorsit, illo Pontificatu deiecto & successore designato Clemente Episcopo Rauennate. Hunc armata manu in urbem post biennij obsidionem ui captam introduxit, & Pontificis loco collocauit solenni ritu consecratum. Ab eodem Imperator est renunciatus cum uxore Bertha, anno Christi millesimo octogesimo quarto.

Sed qui succesſeruut GREGORIO, quanquam pulsi urbe & exules: tamen telam scelerum & malo-

malorum ab illo inhoatam præclarè pertexerunt. Omnibus enim perfidiæ & sæuitiæ modis Imperatorem oppugnarunt. In ea expeditione castigauit etiam Normannos, qui Pontifici addærehant.

Absente Imperatore VVELPHVS Augustam occuparat, quam mox ubi rediit, Cæsar recepit. Saxones reparatis à RVDOLPHI interitu utribus, Imperatorem Pontificis iussu fecerant HERMANNVM Lotharingiæ Lucelburgicæ Principem, Islebij ad Hercinam, qui HENRICO ad Vuirteburgum superato urbe potitus, sed mox inde repulsus, cum recepisset se in Saxoniam, instauraturus bellum, desertus est à socijs. Is tandem in oppugnatione quadam uel lapide è muro præcipitato, uel ut alij malunt, ruina portæ cum multis alijs oppressus, miserabiliter interijt, anno Christi millesimo octogesimo septimo. Huius exemplo nil territus Echertus Marchio Saxoniæ, Imperium arripuit: sed is quoq; anno quinto pòst, in molendino propè Brunsuigium à satellitibus HENRICI circumuentus & obtruncatus est.

Tot aduersis prælijs & uindictæ diuinæ exemplis, Saxonum impetus retusus, nonnihil deferbuit: Sed Pontificum rabies è diuerso adeò non est mitigata, ut furiosius exarserit. Nam VRBANVS Secundus, cùm hac non succeesisset, alia aggressus Imperatorem uia, concitauit in eum CONRADVM filium ex prima coniuge natum, quem Italiæ pater

præfecerat: & hoc immatura morte peremto, Paschalis secundus alterum HENRICVM, quem pater alterius ingratudinem punituus, illo præterito designauerat successorem. Hic rursus ope Saxonum adiutus, patre certaminibus longis & exagitationibus crudelibus grauiter afflicto, & auxilijs sociorum insigni perfidia nudato, Imperium tandem extorsit, Moguntino Episcopo Pontificis iussu, nimis insolenter & crudeliter omnia ornamenta regia in conspectu filij ei detrahente: quam iniuriam & contumeliam vlturus senex, cum bellum reparârat auxilijs Lotharingicis, Leodij mortuus est, anno ætetis quinquagesimo sexto, septimo Idus Augusti: Anno Christi millesimo, centesimo sexto: Anno Mundi quinquies millesimo, sexagesimo octauo: cùm regnasset annos quadraginta nouem.

Hoc fine vitam in terris clausit suam HENRICVS Quartus imperator fortissimus & bellicosissimus, patriæ amantissimus, maiestatis Imperij vindex postremus & accerrimus: qui cum sexagies bis acie dimicârit, expertus difficultates asperrimarũ aduersationum nunquam tamen despondit animum, neque semetipsum, aut eas res, quibus maiestatis Imperij maiorum constitutione continebatur, destituit aut prodidit

Etsi autem vicerunt magnanimitatem & fortunem Imperatoris aduersa fata publica: ostendit tamen Deus illustribus & Tragicis summorum Principum exemplis adesse se ordini politico & legitimis magistratibus, hosq; tegere ac tueri, & iniustas ac seditiosas molitiones elidere ac pessundare, iuxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Dederunt enim pœnas, quotquot seditiosorum consiliorum fuerunt autores & socij ex ordine vtroq; Politico & Ecclesiastico. Nam & in autores Pontifices atq; Episcopos scelera redierunt sua: plurimi enim ex his in acie interfecti sunt, & veteribus Principum in Saxonia familijs extinctis deuenerunt Principatus ad alienos.

Ceciderunt in his bellis OTTO Dux terrarum ad Visurgin cum filijs, CONRADO patre stirpis Comitum Bichlingensium in Turingia, & HENRICO Crasso Northemio, qui à Frisijs ex insidijs truncidatus est. Ottonem hunc Ludolpho patre, ex posteritate Henrici Bauari fratris Ottonis primi, ortum esse supra dixi. Ducum Saxoniæ stirps defecit in Magno Duce Saxoniæ, quem squalor & sordes carceris consumserunt. Ecberto Marchione Saxoniæ iugulato, concidit posteritas Henrici Aucupis. Vdone Marchione à Bribislao Obotritorum Regulo pulso, & posteritate eius extincta, cessit Marchia Brandeburgensis Alberto Vrso Comiti Ascaniæ. Interfectus est & Gebhardus Lotharij Cæsaris pater.

Mutauit tunc & Marchia Misnensis dominos, Cùm enim mortuo DEDONE Marchione, qui inter pri-

ter primos coniuratos fuit, & eius filio DEDONE etiam à proprio ministro confusso, Marchiam obtinuisset HENRICVS DEDONIS patruelis: Cæsar, quòd ad Saxones ille transijsset, eandem decreuit & donauit THYMONI Magno, patrueli HENRICI, præmium præstitæ fidelis in bello operæ: fuerat enim educatus apud Cæsarem. Sed hic eam, quòd adhuc teneretur à Boëmis cum vicina Lusacia, qui HENRICVM mandato imperatoris expulerant, non possedit: Sed aliquanto pòst CONRADVS filius THYMONIS, LOTHARII Cæsaris auxilijs Boëmis ejectis, totam recuperauit, adiectis pluribus, quæ fuerant iuris ac ditionis Comitum VVITERTI Groicensis & HERMANNI Bincebergensis. Hic THYMO conditor est stirpis Marchionum Misniæ, quæ paulatim aucta, illustrataq; opibus, autoritate, potentia ex vbertate venarum metallicarum & accessionibus Turingæ, Saxoniæ ac dignitatis Electoralis, magnam consecuta est celebritatem, virtute præcipuè, sapientia, moderatione, & iustitia: quorum extant documenta pulchrè constituta iudicia, respub. honestissimis legibus ornatæ, Scholæ & Ecclesiæ florentes doctrina & disciplina, gens exculta litteris humanitate.

Lusatiæ bonam partem Misnensibus ademerunt Boëmi, quorum Ducem Vratislaum, ob præstitam contra Saxones fidam operam, Cæsar creauit Regem septimo decimo Calend. Inlij, anno Christi millesimo octogesimo sexto, in vrbe Pragensi. Tribuunt hoc alij Friderico Barbarossæ.

Vuelphum quem ad Rodolphum desciuisse diximus, captum in acie carceri inclusit: ex quo elapsus, & cum viginti annos exulasset, Imperatori reconciliatus, Bauariam recepit.

Dedit pœnas & HENRICVS Quintus filius, ijsdem artibus Pontificum euersus, quibus ipse patrem excusserat, sicut veteri versu dicitur: τοῖς ἐυτοῦ τέχναις τὶς ἁλώσεται, ὅιπερ ὑπῆρξεν.

Antecesserunt hos motus prodigia plurima: Arsit Cometa aliquot menses: fulsêre igneæ acies: exauditi sunt strepitus confligentium exercituum: visa arma in cœlo cruenta, & obsessæ ciuitates, faces ardentes, iacula ignita, monstrosi partus editi: locuti infantes in vtero materno: panes fracti fluxêre sanguine. Durauit autem hoc bellum, perfidia Pontificum excitatum, annos totos triginta octo, à reditu HENRICI ex vrbe Roma vsque ad obitum eius: in quo etsi vicit ipse crebrius quàm victus est: cessit tamen tandem pertinaci superbiæ & improbitati filij, non animo fractus, sed superatus fatali ruina Imperij, perfidia & Pontificum & suorum euersi: Hoc felicior hostibus, quòd inter tanta certamina & pericula, interq; tot modis structas insidias, tantum seruatus diuinitus, præsentiæ ac vindictæ diuinæ exempla in ruina ho-

na hostium atq; interitu spectarit, florens adhuc autoritate & potentia: cum præcipui seditiosæ coniurationis socij intra annos decem & septem interierint tragicè. Rursus post mortem duabus de causis infelicior ijsdem, primùm quòd illis ritu Christiano honorificè sepultis, ipse caruit honore sepulturæ totos annos quinq; Pontificibus non contentis crudeli exagitatione viuentis: sed Hyenarum instar rabie immani in cadauer etiam defæuientibus. Nam post quintum annum demum Leodio Spiram translatus, & prope patrem collocatus est. Deinde quòd ab adulatoribus Pontificum, illi à seditionibus propter obedientiam erga Pontificem celebrantur. Hic, pro rebus ex vsu & dignitate Imperij fortiter gestis, non multò clementius tractatur, quàm exagitatus est à Pontificibus ipsis. Sed compleri oportuit, quod de Idolo vastaturo Ecclesiam filij Dei prædictum est à Daniele et Christo: Oportuit Pontifices parricidijs & perfidia irruere in Ecclesiam, & oppressis eis, qui Idolomaniæ abominationes piorum opera prohibituri fuissent, tyrannidem constituere, constatam ex Idolatria, erroribus, abusibus, libidinibus & iniustis cædibus: A quo liberatos nos esse Deo gratias agamus: & precemur ardentibus votis Filium Dei, ne lucem doctrinæ suæ, quam immensa bonitate nobis ex caligine tenebrarum Pontificiarum reddidit, & veram Dei inuocationem sinat extingui.

Vxor

Vxor HENRICI prima fuit Bertha, filia OTTONIS Marchionis Italiæ, ex qua nati filij CONRADVS & HENRICVS. CONRADVS cum à patre constitutus esset gubernator Italiæ, persuasu Pontificis ducta filia ROGERII Normanni, Regem se Italiæ nominauit, Pontifice proclamante: Sed paulò pòst diem suum obijt, Florentiæ sepultus. HENRICVM Conrado præterito patrem Regem fecit, anno Christi millesimo nonagesimo nono: quæres, si Conradus vixisset, ciuile bellum paritura fuisset. Sed malam patri gratiam degener filius reddidit. Natæ sunt ex eadem duæ filiæ. Primam Agnetam, pater despondit Friderico in Hohenstauffen, cui Rodolpho affine cæso Sueuiam attribuit: Filius Henricus Friderico mortuo, eandem Leopoldo Marchioni Austriæ iunxit. Altera Bertha nupsit Marquardo seniori Duci Carinthiæ & Marchioni Stiriæ. Prima vxore mortua anno Christi millesimo octogesimo septimo, & Moguntiæ primùm, deinde Spiræ sepulta, duxit aliam, Praxeden viduam Vdonis Marchionis Brandenburgensis, filiam Regis Russorum cum qua nuptias celebrauit Coloniæ, anno Christi, millesimo nonagesimo quinto: Ex qua, an sobolem susceperit, non constat.

Hoc HENRICO imperante, suscepta est expeditio in Asiam, ad vrbem Hierosolymam recuperandam, Duce Godefrido Bilioneo, de qua paulò pòst.

Idem Pontifex GREGORIVS septimus vendicatæ potentiæ & vsurpati noui iuris primus autor, prohibuit etiam Sacerdotibus vxores interdicto seuerissimo, & contracta coniugia diuulsit in Germania: Qua lege horribilis impuritas in mundum introducta & accumulata est: Sed Pontifices hanc turpitudinem & obscœnitatem insuper confirmarunt immanitate: Iugularunt enim Sacerdotes qui vxores castitatis causa duxissent, quos quidem veteres Canones tantum officio priuant. Euangelium docet coniugium nulli mortalium ad hoc idoneo interdicendum esse, & leges prohibentium vocat doctrinam Dæmoniorum: Et inter signa Antichristi apud Danielem recitatur, quòd sit futurus osor mulierum: quo dicto significatum est odium coniugij & turpitudo flagitiorum. Sed accommodata fuit hæc Lex opibus, potentiæ, luxui & ocio collegiorum: cui, vt dignitatem ordinis amplificarent, assiuerunt commentum aliud apertè blasphemum, ex profanatione Cœnæ Dominicæ: Neminem nisi Sacerdotem cœlibem & ritu Pontificio initiatum consecrare, id est, substantiam panis & vini in Missis theatricis mutare posse in substantiam corporis & sanguinis Christi: quæ cùm alterius sint loci, non prolixius hîc ea attingam.

HEN-

HENRICVS QVINTVS cognomento iunior.

HENRICVS filius HENRICO patri incitatione Pontificum seditioso ac parricidiali bello improbè & inclementer diuexato, & tandem debilitato, Imperium primò, mox etiam crudeli parricidio vitam insuper eripuit, enecto illo doloribus animi, anno Christi millesimo nonagesimo septimo. Id quanquam errori potius tribuo, in quem superstitionis & falsæ persuasionis fascino à Pontificibus inductus fuit, quàm cupiditati Imperij: quòd hanc non plus valuisse in animo & per se generoso & religione Christiana delibuto, quàm pietatem erga parentem memoriamq; accepti ab eo Imperij, plane mihi persuadeo: & mirificè moueri percellíq; animos mentione & prætextu religionis certum est: dedit tamen pœnas, ijsdem imbutus seditionibus, Pontificum artibus, & eadem de causa, propter quam patrem ipse oppugnarat. Veruntamen quòd statim mutata voluntate litè mouit ac bellum Pontificibus de eadem causa, quam bello contra patrem defenderat, excusari iniusta eius crudelitas erga patrem non potest: Ostendit enim causam illam patri iusta arma induisse. Quòd rursus deinceps, seu motus magnitudine seditionum, seu fractus anathematum diris, cessit importunitati Pontificum, & prodita his libertate ac dignitate Imperij, susceptit exitiale Reipublicæ & Ecclesiæ tyrannidis

Pontificiæ iugum: odio: digna est neglecta, vel violata potius, pietas & fides ergo patriam.

Solus rerum potitus post obitum patris, initiò pœnas bello exegit ab ijs, qui solicitati ad defectionẽ, discedere ab Imperatore legitimo noluerant: inter quos fuerunt HENRICVS Lotharingiæ Dux, & ROBERTVS Flandrensium Comes, cum aliquot ciuitatibus, quarum præcipua fuit Colonia: Noribergam enim paulò antè captam funditus euerterat. His vindicatis atq; in fidem deditione acceptis, ALMO Vngarico Regi opem tulit contra COLOMANNVM, adiutus à Suantopulto Boëmo: sed conatu irrito. Mox eodem socio tentauit Polonos, qui tributa imperio ex pacto & obligatione debita denegabant: Sed quòd, dilapsis ob cædem clandestinam sui Ducis Suantopulti Boëmis, diffideret reliquis copijs, abduxit exercitum ab obsidione Glogouiæ consilio Vuiperti Comitis Croicensis, & cum Polonis transegit.

Hinc Romam profectus est cum exercitu, vt renunciaretur Imperator, & vetera iura conferendorum Episcopatuum vindicaret atq; assereret, quæ Pontifices iam tanquam sua vsurpabant. Qua de re quàm primùm innotuisset Imperatoris consilium, Paschalis Pontifex tantam concitauit in eum repente seditionem, vt Imperatorem ipsum dimicare de vita & fortunis suis oportuerit. Idcirco postquam multa

ciuium cæde seditionem compressisset, discessit ex vrbe ad montem Soractis, ab ducto eò secum Pontifice: vbi transactis rebus, annuit Pontifex, se nihil derogaturum potestati Imperatorum. Reuersis itaq; ambobus ad vrbem, Pontifex & Henricum proclamauit Imperatorem, & publica transactionis ac decreti promulgatione vetera iura confirmauit, quod factum est anno millesimo, centesimo vndecimo.

Antecessit hos motus Cometes, qui diu fulsit, & iudicatus est minitari Italiæ.

Sed vix erat ab vrbe digressus Imperator, cum Pontifex decreta illius rescidit vniuersa, & sua retractauit promissa, additis insuper diris atq; execrationibus, & incensis atq; impulsis Saxonibus ad nouas seditiones: qui iam ante extincto VLRICO Saxoniæ Marchione, quem ECHARDO successorem datum esse conijcio, etsi de origine certi nihil annotatum reperio, armis inter se contendebant de illius hæreditate. Fax seditionis fuit ALBERTVS Episcopus Moguntinus, vir sceleratus. Hic peruolitata Saxonia, quos potuit ad bellum excitauit ac compulit.

Coniunxerunt sese ergo cum LOTHARIO Saxonum Duce, qui, vt dicimus, Saxoniæ omni magna ex parte beneficio HENRICI Quinti dominabatur, multi alij, vt Vuipertus Comes Groicensis, RODOLPHVS Marchionis Brandenburgensis, Otto Comes Ascaniæ in Ballenstet, Sigefridus Pala-

Palatinus Saxoniæ, cui non multo antè conuicto criminis læsæ maiestatis, Imperator vitam condonârat & pœnam perpetui carceris, ad quem fuerat condemnatus iudicio & sententia procerum Imperij. Hos cum magno superatos prælio dissipasset, in quo Sigefridus Palatinus occubuit, celebrauit deinceps nuptias Moguntiæ cum Mathilde Anglorum Regis filia: vbi etsi Lotharius Saxo, longa indutus cinerea veste, supplex coram Imperatore deprecatus est moti belli culpam: tamen paulò pòst se à data fide rursus auertit.

Post nuptias moturum in Frisios nouæ Principum defectiones retraxerunt. Magnas enim coëgerant copias Saxones ducibus LOTHARIO & Episcopo Halberstadensi: quibus cum congressus ad Syluam in Comitatu Mansfeldensi: Vuelphici saltus nomine in historijs ab hoc prelio celebrem, victus ac repulsus, amisso præcipuo Duce Hogero Comite Mansfeldense, fugit. Dimicatum est tertio Idus Februarij, anno Christi millesimo, centesimo decimo quinto. Enituit in hoc bello virtus & inclarauit nomen OTTONIS Comitis Ascaniæ in Ballenstet. qui duo Sclauorum millia auxilium latura Henrico, itineribus interclusis concîdit eodem tempore. Hic antiquissimo propagatus stemmate Comitum Ascaniæ ad Hercyniam, genuit Albertum Visum conditorem trium amplissimarum familiarum in Germania, priorum Saxoniæ Ducum, Marchionum Brandenburgensium veterum, & Principum Anhaltinorum.

Quòd ergo & odia ingraueſcerent, & diſſidia domeſtica augeſcerent indies magis magisq́, atq́, gliſcerent, Imperator ceſſurus furoribus hoſtium abijt in Italiam, accitus ad capeſſendam hæreditatem viduæ Mathildis, quæ ſoror fuit Ecberti Marchionis Saxoniæ: Sed cum Pontificum rabies iſtic quoque conſiſtere eum non pateretur, irritatus tot iniurijs, Gelaſium, qui Paſchali ſucceſſerat, deiectum de Pontificatu vrbe pepulit: ſuffecto alio, Burdino Hiſpano Epiſcopo Bracharenſi, quem Calixtus Gelaſij ſucceſſor Sutrij captum miſit in exilium, Imperatore excommunicato. Fruſtratus ergo omni in Italia conatu, rediit in Germaniam, Moguntinos propter perfidiam Epiſcopi multiplicem puniturus: ſed teritus contrario apparatu Saxonum, quos per Moguntinum Pontifex inflammare non ceſſabat, deſtitit ab incepto.

Sic expugnatus tandem & perpulſus Pontificum pertinacibus machinationibus, & ſuorum infinitis editionibus, fatali furore in perniciem patriæ comimotis, cum vrgere & flagitare Epiſcopi non deſinerent, de ſuo iure aliquid vt remitteret tranquillitatis publicæ cauſa, conſenſit in Pontificum poſtulata: Quod cum Vuormatiæ in magna frequentia publicatum eſſet, anno Chriſti milleſimo, centeſimo vigeſimo ſecundo, nono Calend. Octobris, applauſus ſecutus eſt ingens

ingens populi stolidè acclamantis, & inani spe tranquillitatis futuræ gratulantis sibi tyrannidis Pontificiæ impium & crudele iugum.

Ita constituta magna sapientia, & quodam quasi præsagio malorum, quæ ambitio & superbia Pontificum Imperio & Ecclesiæ esset inuectura, si non coërceretur: ita ergo constituta sancitaq; à Carolo magno iura Imperatorum, & annos trecentos conseruata atq; defensa, seditiosa domesticorum conspiratio fatali successu, in Pontificum gratiam, penè vno momento elisit atq; euertit. Quibus malis in Ecclesia & Republica hæc concessio causam præbuerit: quæ damna dederint Pontifices hac tyrannide armati: quid non tentarint, vt labefactatam penèq; proiectam Imperatorum autoritatem penitus conculcarent: Deniq; quoties eorum crudeli impulsu Germania concitata ruerit in sese, & suo perfusa cruore maduerit ac rubuerit: senserunt & deploratunt maiores nostri.

Eripuerunt Pontifices huius cessionis prætextu vniuersæ Ecclesiæ violenter legitimam clauium potestatem, sedq; finxerunt constitutos esse diuinitùs dominos & iudices omnium Ecclesiarum, Episcoporum, Pastorum, Regum, deniq; Orbis Christiani totius, in negotijs vniuersis, Ecclesiasticis & politicis: Episcopos coëgerunt à se accipere ius exercendi muneris sui, & ad claues annexerunt licentiam instituendi nouos cultus diuinos, & ferendi leges nouas, quas qui transgrederentur, eos licere pronunciare amputata & reiecta membra corporis Christi, seditiosos, hæreticos, schismaticos, & addicere perpetuis supplicijs: Deniq; telo excommunicationis, terrenas ditiones acquisiuerunt, Reges stabilierunt & euerterunt.

Ex hisquæ secuta sint, ante oculos & in conspectu est. Germania spoliata & ornamentis dignitatis, & præsidijs stabilitatis suæ, redactaq; in captiuitatem turpissimam, patuit & expleuit immania odia et turpem luxuriam Romanorum pontificum, mutuis inter se cædibus principum in bellis ciuilibus penè continentibus, & pecuniæ ad luxum Romanum profusione. Imperatorum quæ fuit alia conditio, quàm vilissimorum mancipiorum? quorum qui non annuerunt omnibus Pontificum postulatis, quas diras & exetrationes, quas aduersationes perpessi sunt? Religio verò quod omnium maximè duplorandum est, doctrina & ritibus à Deo auersa, & ad Idola ac superstitionem conuersa, seruiuit superbiæ, auaritiæ & tyrannidi eorumdem: sicut ostendunt repetitimde vsq; ab Henrico Quarto Canones, dogmata, noui & Idolatrici cultus commenta Indulgentiarum, & totum Chaos errorum atq; abusuũ, quibus fuit huc vsq; Ecclesia oppressa. Tantam vim habet superstitio, quando occupatas & obsessas hominum mentes deuinxit & excæcauit.

Sed ne ita quidem HENRICVS placatis vti Saxonibus potuit. Nam & per se LOTHARIVS

RIVS nouis studuit rebus, & sororem viduam Hollandicam impulit ad res in Belgico nouandas: quas cum sedasset Henricus, subsidio venit socero Regi Anglico, bellum gerenti cum LVDOVICO Gallo: Tandemq; rebus in Germania superiore Bambergæ compositis, profectus Traiectum, illi quoque oræ redditurus pacem in morbum incidit, quo extinctus est decimo Calend: Augusti: Anno Christi millesimo, centesimo, vicesimo quinto: Anno Mundi quinquies millesimo octogesimo septimo: cum regnasset annos nouendecim.

Ex vxore Mathilde cum sobolem non suscepisset, Franconiam attribuit CONRADO Sueuo, filio FRIDERICI Ducis Sueuiæ in Hohenstauffen qui post LOTHARIVM impetrauit: Hic instauravit vrbem Noricam, Monasterium ibi condidit ad S. Ægidium. Nam vt vera pietas initio necessarios propagandæ doctrinæ Episcopatus: ita superstitio postea Monasteria velut præsidiarias arces & propugnacula Pontificij regni condidit, cumulauit & lotupletauit, inuecto & stabilito cultu Idoli in Missa priuata, & repositione, circumgestatione & adoratione panis.

Huius HENRICI seculo, circiter annum Christi millesimum, centesimum vicesimum quartum OTTO Episcopus Bambergensis, de cuius stirpe suprà quædam monuimus, gentem Pomeranicam conuertit ad fidem Christianam, Ducibus Bertislao & Ca-

simiro Christianis sacris initiatis: vnde cognominatus est Apostolus Pomeranorum. Casimirus Ottonis suasu Episcopatum condidit in celebri emporio gentis Iulimo: quo à Danis deleto, sedes Episcopi translata est Caminum. Filijs Bertislai Bugislao & Casimiro, Fridericus Barbarossa, in bellis Saxonicis Ducali dignitate & priuilegijs decoratis, locum tribuit inter Principes Imperij. Grassata est & pestis sæuissima, qua extincta esse perhibetur penè tertia pars hominum.

LOTHARIVS SAXO.

INterierat, vt dixi, in bellis HENRICORVM stos Principum & nobilitatis Germaniæ: neq; vlla ferè reperiebatur pars, quæ dominos non mutasset. Imperatores enim alibi alios in loca cæsorum promouerunt, vel translatos in ordinem superiorem, vel ornatos noua dignitate, pro meritis & fidei in bellis præstita. Nondum deflagrârant tamen ex æmulatione & inuidentia contentioneq; de Imperio nata odia, quæ in successores velut lege hæreditaria propagata, in nouum mox eruperunt bellum.

Ex mutationibus creuerat præcipuè potentia CONRADI & FRIDERICI patruelium in Sueuia & Francia Orientali, de quibus paulò pòst, & LOTHARII in Saxonia: Inter hos, CONRADVM scilicet LOTHARIVM, graue certamen de Imperio exortum est: LOTHA-

RIO subnixo nouorum clientum in Saxonia subsidijs, & HENRICI Superbi Bauari societate, cui filiam desponderat: CONRADO freto coniunctis Francorum ac Sueuorum viribus, studijsq; cæterorum Principum & ordinum, qui memores seruitutis perpess. sub Saxonibus, ne amissam Imperij possessionem illi recuperarent, prohibere cupiebant. Erat verò CONRADVS natus ex HENRICI Quinti sorore, cuius pater Sueuiam soceri HENRICI senioris, ipse Franciam Orientalem iunioris beneficio obtinuerat: Idcirco Imperium etiam quondam iuris titulo propter matrem sibi vendicabat. Hunc sequebantur FRIDERICVS Sueuus patruelis, & LEOPOLDVS Austriacus.

Saxones è conuerso indignum arbitrati & sua & maiorum virtute, se gentem liberam & imperio assuetam ab omni gubernatione excludi, & aliorum autoritate velut mancipia regi: præsertim cùm hisce proximis annis Imperatores Francicos parum clementes essent experti: repetendum censebant Imperium, quòd maiores magna cum laude gesserant, & magno suo cum commodo, velut colonijs Principum ex Saxonia in reliquam Germaniam deductis, atq; in prouincias distributis: vnde & opes & vires gentis creuerant: Hæc opinio vehementer extimulabat & acuebat in animis natura genti insitam dominandi cupiditatem, ac libertatis amorem & studium.

Lotha-

Lotharius cæteros antecellebat autoritate & opibus. Is natus patre GEBHARDO Comite in Supplenburg & Arnsberg, ex antiqua stirpe Comitum Querfordi ad Herciniam HENRICO Quinto adhæserat contra patrem. Ab eo nauatæ operæ præmium consecutus erat Saxoniam vniuersam. Etsi enim filias Magni Ducis Saxoniæ, qui masculam sobolem non reliquit, duxerant in vxores, vnam Helixen OTTO Ascaniæ Comes, alterum Vuulffhilden Vuelphus Bauarus spe potiundi Saxonia: tamen his HENRICVS prætulerat propter auxilia contra patrem præstita LOTHARIVM, cui iam antea Rixa coniunx, nata HENRICO Comite Northemij, de quo dictum est, & Gertrude sorore ECBERTI Marchionis, attulerat dotis loco, consensu Imperatoris & subditorum, auitam regionem eam, quæ ad Visurgim est, à patre HENRICO: alteram quæ ad Brunsuuigam, vbi Marchionum Saxoniæ sedes fuit, à matre Gertrude: Et munierat se LOTHARIVS affinitate potentis Principis HENRICI Superbi. His confisus rebus, & opinione virtutis ex memoria primorum successuum, quibus Henricum Quintum debellarat & enerauarat: accedentibus insuper incitationibus sociorum, præsertim Episcoporum, inuasit Imperium contra CONRADVM. Sunt qui pertractum eum ad imperium fuisse perhibent Alberti Moguntini & legati Pontificij consilijs. Hos consentaneum est, res ad

Lotharium traxisse opinione & spe, quam de eo conceperant, quòd religione & fide non minore suscepturum eum defensionem & amplificationem dignitatis Pontificiæ confiderent, collocatum in Imperio, & publica armatum autoritate, quàm fecisset antea priuatis: Et cœperant iam Pontifices, quanquam repugnantibus Principibus, ingerere sesè ac miscere consultationibus publicis, quæ de Imperij summa & electione instituebantur, non eò tantum, vt ex tortam recens HENRICO potestatem creandorum Episcoporum consuetudine & vsu ratam facerent: sed vt huic aliam insuper adijcerent, quam vsurparant paulò antè, cum nouo & inusitato exemplo, HENRICO Quarto in ordinem redacto successorem dederant: scilicet, vt Imperatores, quos vellent admitterent: quos nollent, aut reijcerent, aut amouerent.

Conradus vbi præsidio firmasset vrbes Imperij præcipuas, Vlmam, Noribergam, Augustam, relicta Germania in Italiam contendit, omni spe posita in celeritate, scilicet, vt Imperium LOTHARIO impetrata renunciatione præriperet: & iam occupata Longobardia, rem eò deduxerat, vt Modoeciæ Mediolanensis Archiepiscopus coronam ferream ei imposuerit. Sed spe pariter & Imperio excidit, repulsus ex Italia anathemate Honorij Pontificis, qui Lothario fauebat, & Lotharij in Germania successibus territus, qui ad Imperium adipiscendum plus

positum ratus in Germanico robore, cum vrbes, quas Conradus munierat, præsidijs vel vi electis, vel deductis recepisset, Vlma diruta, non magno negotio eum ex Italia retraxit, in qua propter factionum ac dissensionum studia, Germanicis orbatus auxilijs, alioquin consistere non poterat, domi aditus ad Italiam omnes præcludente & commeatus intercipiente Henrico Bauaro, qui & Fridericum Sueuum patruelem illius depulerat, & Boëmos subsidio venturos Friderico auerterat.

Reuersum in Germaniam Conradum, & spem Imperij abijcientem, Lothario reconciliauit S. Bernhardus Clareuallensis, qui illa ætate floruit. Huius Bernhardi scripta, etsi plena sunt superstitiosis opinionibus illius temporis: tamen doctrinam de iustificatione hominis coram DEO, ex misericordia, per fidem in vnicum Mediatorem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, rectè eum intellexisse ac tradidisse testantur. Extat in Concione de annunciatione dictum, quod perspicuè & propriè recitat sententiam Pauli & nostrarum Ecclesiarum de iustificatione: Necesse est primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam DEI: Sed adde, vt credas & hoc, quòd per ipsum peccata tibi donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus Sanctus in corde

tuo, dicens: Remissa sunt tibi peccata tua: Sic enim arbitratur Apostolus, iustificari hominem per fidem. *Et similia testimonia plura leguntur in eis scriptis, quæ ostendunt minus aliquanto illo adhuc tempore corruptam fuisse aliquorum capitum doctrinam, quam regnum superstitionum deinceps tyrannide Pontificum stabilitum & amplificatum, munimentisq; regnorum & maximarum opum subsidijs fultum, prorsus extinxit.*

Apparet etiam Monasteria tunc nondum à prima & vetustissima forma atq; consuetudine Scholarum prorsus fuisse mutata: sed pristini moris aliquid conseruasse exercitijs pietatis, doctrinæ & studiorum. Collegia Ecclesiarum initio constituta erant, vt essent Scholæ: & mos fuit in his Collegijs adolescentiam Christianis & literis & moribus formare: Quod institutum cum videretur vtile moribus publicis, maiores nostri pio studio ea locupletarunt, ne vnquã deessent sumtus necessarij discentibus. Postea cùm pietati superstitio successisset, & pro Euangelij doctrina receptæ essent leges Pontificum: Collegia, quæ fuerant hactenus conuentus studiosorum paulatim ad sacrificos translata: opes verò Collegiorum in luxum Romanæ superbiæ atque otiosorum hominum voluptates, profusæ sunt, Scholis abolitis: Docendi verò prouincia delegata est familijs Monachorum, non Christi, sed Benedicti & Bernhardi nomen profitentium

sentium, & sectantium, vt iactitant præcepta: Sed Collegiorum exemplum hi quoq; secuti, cum superstitionem quæstuosiorem docendi laboribus experirentur, literas vnà cum docendi munere deseruerunt, nouum viuendi formam commenti. Redactæ sunt ergo Scholasticæ operæ, studijs penè vbiq; sepultis, post Sueuorum Imperium ad nouos regni Pontificij fœtus scilicet ad mendicantium Monachorum agmina, qui fœcundissimo prouentu his postremis annis ducentis, vbiq; locorum & gentium, matre superstitione, patre Pontificum tyrannide editi, sed diuersitate ac dissimilitudine professionis penè infinita, commentis suis compleuerunt Orbem terrarum, & tyrannidis Pontificiæ, leges cùm exasperarunt, tum executi sunt acerbius multò quam Pontifices ipsi: eoq; res tandem perduxerunt, vt ipsis etiam Pontificibus formidabiles essent. His doctrinæ custodibus & occiderunt literæ & interijt pietas Christiana, antiquata doctrina Euangelij, rectioribus studijs deletis, superstitionibus cumulatis, ita vt necessitas coëgerit bonos & salutares Principes cogitare de Scholarum instauratione: in quibus postquam cœpta essent restitui & excoli liberalium artium ac linguarum studia, paulatim depulsa barbarie Philosophicarum opinionum & putidæ sordidæq; orationis, redditus est tãdem etiã Dei immensa benignitate suus nitor splendorq; doctrinæ cœlesti.

Hæc ita euenisse manifestissimum est historias conferenti.

Sed ad LOTTHARIVM redeo: Is bis duxit exercitum in Italiam: Primum rogatu Innocentij Secundi Pontificis, vt excitatos contra eum tumultus in vrbe Roma electione Anacleti sopiret: Quo tempore postquam reduxisset Pontificem, quem factio contraria vrbe eiecerat, vicissim ab eo renunciatus est Imperator: sed vetera imperatorum iura cùm se repetiturum ostendisset, Pontifice ne id tentaret deprecante, cessit persuasus S. Bernhardi, quem secum adduxerat, precibus seu religione, qua nihil in animis magnorum Principum potentius est: seu spe firmioris concordiæ atq; coniunctionis inter distractos animos ordinis vtriusq; sacri & politici: seu metu sæuiorum bellorum, quòd intelligebat, non quieturos esse Pontifices. Sed nocuit plurimum, vt dixi, Ecclesiæ & Reipublicæ hæc concessio. Nã verè patefecit illis fenestram ad omne nequitiæ & crudelitatis genus impunè exercendum.

Secundò venit in Italiam evocatus contra ROGERIVM Siciliæ Regem, qui in bona Ecclesiæ inuolârat. in ea expeditione, quòd tota vltra citraq; Apennium Italia domita, captis vrbibus. Rogerioq; profligato, auxit opes, dignitatem, & potentiam Romani Pontificis, vnus cum CAROLO Magno confertur: quam fortassè non meruisset laudem, si minus indulsisset Pontificibus, aut si tam Imperij, quàm Romanæ sedis potentiam extulisset. Cùm enim excelluerit sapientia, pietate, virtute, industria & facilitate & Italiam beneficijs affecerit maximis: non tamen tam hæc celebrantur, quàm quæ in Pontifices collocauit.

Sunt reuera hæc beneficia summa, restitutio dulcissimæ pacis ex longis & asperrimis bellis, & iustitiæ ac legum ex longa rerum perturbatione. Vtroquæ autem nomine de Germania & Italia LOTHARIVS præclarissimè meritus est. Nam & pacem vtriq; quantum in ipso fuit, reddidit, etsi diuturnam esse non siuerunt Pontifices: & eandem ceu minuit præsidio legum, reuocatis in lucem & ad vsum vetebus legibus Romanis. Eo enim tempore, quo Italiam Longobardi & Franci dilacerarunt, paulatim ibi, cùm forma iudiciorum mutata esset, barbarici mores recepti erant, & Romanæ leges his oppressæ conticuerant. Conseruauit tamen studia veteris illius doctrinæ, sicut aliarum artium Græcia constantinopoli: & extant ad huc commentarij in ius Romanũ scripti Constantinopoli, similes glossematis & enarrationibus doctorum Italicorum. Ideo cum Italia à Germanis pacata OTTONVM tempore quasi respiraßet, & paulatim mores barbaricos emendaret, homines ingenioßi excellentes dexteritate iudiciorum in negocijs, & instituti atq; exculti doctrina Constantinopolitana, odio & fastidio barbaricarum consuetudinum, cœperunt ius Romanum desiderare. Ita paulatim celebrari hoc studium cœptum est.

Sed HENRICI Quinti tempore fuit in Italia vir

lia vir summæ autoritatis IRNERIVS, qui gubernauit eas partes, quæ tum erant Romani Imperij. Is cum esset eruditus, fortasse Constantinopoli, aut ab ijs qui audierant Constantinopolitanos, sæpe ritus barbaricos in successionibus & alijs negotijs, ex iure Romano aut correxit aut moderatus est. Grauiter autem quassarant Italiam bella HENRICI Quarti, quibus, vt fit in bellis ciuilibus, patrimonia multorum translata fuerunt ad alienos. Ex ea calamitate nonnihil recreauit eam prudentia & moderatio Irnerij; qui cum posteritati etiam consulendum putaret, cupiebat autoritate Imperatoria proferri rursus jus Romanum vt certæ leges & erudite scriptæ extarent, & vitarentur occasiones discordiarum, quæ ex incerto iure nasci consueuerunt: Hic IRNERIVS, cum fides eius integritas perspecta esset in gubernatione tam longa, & grandior ætas auxisset autoritatem: nactus Imperatorem LOTHARIVM Saxonem minus impeditum bellis ciuilibus, & qui plurima ad tranquillitatem retinendam necessaria constituit, fuit huic hortator, vt præciperet causas dijudicari ex legibus Romanis, & ut curaret Romæ & Bononiæ easdem publicè enarrari, sicut fieret Constantinopoli, & antiquitus Athenis in Beryto, & instituto THEODOSII Bononiæ fuisset vsitatum: & ne deesset doctrinæ copia, perduxit libros scriptos. Fertur & ipse Romæ ac Bononiæ docuisse, & primus ex Italis glossemata textibus abdidisse.

Consilio ergo IRNERII, autoritate LOTHARII, reuocata sunt studia doctrinæ legum, & reductus est quasi postliminio vsus earum in forum, à quo annos amplius sexcentos exularant. Necesse est autem eos, qui restituerunt quasi imaginem veteris Imperij, non solum ingenijs & prudentia excelluisse, quam vsus rerum acuerat, sed etiam diligentiam mirabilem atq; acre & ardens studium adhibuisse, in legibus conferendis & considerantis fontibus eruditissimarum constitutionum, quas ex lege naturæ derivatas esse atq; extructas, rationes ostendunt, demonstrationibus reductæ ad fontes & principia: quod fuit res maximi negotij, mutata veteri Reipublicæ forma, prorsus antiquata fori consuetudine, amissa proprietate linguæ, studijs squalita, tetraq; barbarie deformatis: Certè Italiæ, Galliæ, & Germaniæ plurimam eam profuisse doctrinam, res docet.

Secuti postea Irnerium auditores ipsius Bulgarus, Azo, & alijs in Schola pariter & Reipub. administratione floruerunt. Deniq; capta admiratione doctrinæ huius Italia, certatim in eam incumbere cæpit: & prodierunt ex illis Scholis plurimi, qui docendo, scribendo, & de iure respondendo, regendis Imperijs, de vita hominum optimè sunt meriti. Accursius attigit tempora FRIDERICI Secundi: & CAROLI Quarti ætas celebrat Bartholum, Baldum, & plurimos alios auditores, qui doctrinam quasi per manus traditam docendo propagarunt, & commentando illustrarunt.

Est

Est autem verè diuina res Rerumpub. constitutio, legumq; seu emendatio, seu mutatio in melius, quæ nisi regatur diuinitùs, nec procedit, nec euenit feliciter: Quod cùm sapiens antiquitas agnouerit, prudenter cauit mutationes omnes, & sæpè inueteratæ consuetudinis vitia, si non prorsus essent enormia, sapienter tulit ac dissimulauit, sicut nævos corporum, qui sine deformitate multo maiore, elui vel expungi nequeunt. Facilè est, inquit Pindarus, cuiuis mutare ciuitatis statum: sed commotum turbatumue sedare & in tranquillum restituere, solius Dei opus est. Et apud Thucydidem Alcibiades censet: πᾶν ἀνθρώπων ἀσφαλέστατα τοῦτο οἰκῶν, οἳ ἂν τοῖς παροῦσιν ἤθεσι καὶ νόμοις ἢν καὶ χείρω ἦ ἥκιστα διαφόρως πολιτεύωσι. Idcirco cum euentus ostenderit vel in ipsa fori iudiciorumq; emendatione, consilium de restitutione iuris Romani à Deo profectum esse diuinitùs Lotharium adiutum atq; gubernatum fuisse agnoscamus, & tueamur hoc beneficium, & Deum primò, deinde optimum Imperatorem, autores huius beneficij grati celebremus.

Vixit LOTHARII ætate GRATIANVS, qui Pontificum decreta congessit: etsi & ante GRATIANVM similis liber in hominum manibus fuisse traditur, opera cuiusdam Episcopi Vuormatiensis collectus. Intexuit his decretis ex veterum Synodorum Canonibus, quæ ad Hierarchiæ Romanæ dignitatem extollendam & amplificandam facere

visa sunt, & recentes ac præsenti statui accommodatas constitutiones miscuit: sed seueriſsimas sanctioris disciplinæ leges, quibus Ecclesia purior sterit, commutauit in ociosa ac theatrica spectaculaceu ludorum quorundam. Hic GRATIANI liber causam præbuit, vt Pontifices deinceps infinita audacia concederent ac cumularent decreta, quibus quæ liberet in doctrina cœlesti & ciuilibus legibus Imperatorum mutarunt, & sese aduersus vim omnem, vt existimarunt, superam terrenamq;, armarunt. Inde æmula studia exarserunt. Feruebat recens excitatum studium doctrinæ legum Romanarum, certatim in id incumbentibus ingenijs Italicis & Germanicis, vt est natura humana rerum nouarum auidissima: quòd quia Imperatores muniebat atq; armabat videbatur minitari recenti nec dum satis confirmatæ, Pontificum tyrannidi. Pericula ergo, quæ inde emensura essent si inualuissent, vt maturè auerterentur, extolli cœpta est Canonum autoritas, & legibus Romanis anteponi: vtpote qui de rebus ad Ecclesiam pertinentibus constituerent, cuius sit maior autoritas, & potestatem quæ habeat moderandi ac determinandi ciuilia. Itaque ferri cœptæ sunt leges, quibus de Romanis aliquid derogaretur, autoritate Ecclesiæ ceu correctum ac limitatum. Cumq; nouo iure ac legibus nouis patronis etiam ac defensoribus opus esset, citò commouit sese duplex genus hominum, Canonistæ & Scholastici: quorum illi Hierarchiam & tyran-

tyrannidem Romanam propugnandam susceperunt ex Canonum decretis, non minore contentione, quàm cæteri Imperatoriam potestatem ex sacris literis & iure Romano tuebantur: Hi dogma nouum excogitarunt, ex fascino errorum ac superstitionis capiendos & irretiendos hominum animos, quibus laqueis hi vincti permanerent in obedientia erga sedem Romanam. Scholasticæ Theologiæ nomine id celebre est: & reliquas doctrinæ purioris scintillulas, de Lege, de Euangelio, de peccato, de gratia, de fide, de iustificatione coram Deo, de vero vsu Sacramentorum, de vera Dei inuocatione, de operibus Deo placentibus prorsus obtriuit atq; extinxit. Cùm enim errores & abusus, vel recepti consuetudine, vel à Pontificibus orti aut approbati, defendi, si exigerentur ad Regulam verbi sacri, non possent: illi neglecto, quæsita sunt alia præsidia. Huius doctrinæ fundamenta Petrus Longobardus sententiarum Magister, imperante FRIDERICO Primo, contraxit in libros quatuor: quibus excolendis illustrandisq; ita occupata fuit omnis Scholasticorum & Monachorum colluuies deinceps, vt præ illo Biblia sacra è manibus, & penè ex animis illorum assectarum exciderint, atq; in pulpitis & suggestibus non Christi aut Pauli, sed Magistri sententiarum nomen assiduè sonuerit & auditum sit, Interpretes Thomas Aquinas & Scotus cum inter se certassent subtilitatibus, Ecclesiam ita quæstionibus partim ineptis, partim impys, partim inextricabilibus

bilibus referserunt ac simul Philosophiam corruperũt ac polluerunt, vt recentioribus Vuilhelmo Occam, & alijs, necessitatem attulerint dissentiendi ab ipsis. Inde nati sunt admirabiles conflictus, quos lux doctrinæ restitutæ tandem diremit ac sustulit.

Fuit autem hoc doctrinæ genus consutum ex malè detortis scripturæ sacræ sententijs, & confusis cum Platonicis & Aristotelicis disputationibus, Ethicis, Physicis, & Metaphysicis, sed alicubi deprauatis & Pontificum constitutionibus, quod labyrinthis inextricabilibus inuolutum, particulam doctrinæ Legis, seu potius Philosophiæ moralis, enarrat prorsus more Philosophorum: Euangelij vocem obruit atq; abolet sublata certitudine promissionis & fidei, amotoq; Mediatore: Estq; totum attemperatum tyrannidi Pontificum, & præsenti regno superstitionum: nititurq; hypothesibus impijs & falsis: quòd quæ à Pontificibus conduntur, vel approbantur, aut in doctrina vel ritibus vetustis mutantur, etiam contra normam verbi diuini, sint iuris mandatiq; diuini, & valeant propter Ecclesiæ autoritatem, quæ labi & errare nequeat, cui aduersari nefas sit, deniq; cuius sit caput Romanus Pontifex: Et quod quale fuerit, ostendunt libri qui extant: cuius pudet iam plerosq;, qui nisi cõuinci possent, essent id abiuraturi. Hoc præclarum illum consensum complectitur, quem toties Pontificij iactitant, & tam ambitiosè prædicant atq; inculcant; ad quem tanquam Canonem decreta in Ecclesia

inflecti ac dirigi, & opiniones ac iudicia exigi atq; explorari volunt, pertinacia tam cæca, vt euidentia testimonia doctrinæ sacræ ac primæ purioris q; Ecclesiæ repudient potius, quàm conuelli hunc patiantur: scilitet, ne labefiat aut inclinetur status regni Pontificij, qui his decretis insistit atq; innititur.

Peperit autem hoc nouum doctrinæ genus ambitiosissimas æmulationes & mirificas contentiones inter Iurisconsultos, Theologastros, & Canonistas. Hinc factionum extirerunt studia, Orbe Christiano scisso in partes, alijs Imperatores Gibellinorum, alijs Pontifices Vuelphorum titulo sectantibus, & suum vtrisq; Ducem pertinaci odio, & insidiarum crudeli conatu, cædiumq; ac seditionum sæuitia propugnantibus. Nos de reddida nobis luce veræ doctrinæ Deo gratias agamus, & ardentibus votis precemur, vt has & alias similes veteres & nouas præstigias à nostris Ecclesijs procul arceat, & colligat sibi inter nos æternam Ecclesiam ministerio veræ doctrinæ per Filium, & sanctificet eam Spiritu sancto.

Redeo ad LOTHARIVM. Hic Italia ex confusionibus difficilimis explicata, in tranquillum locata constitutaq; & ornata legibus & iusticia, rediturus in Germaniam per vallem Tridentinam, morbo correptus est: cumq; properaret in patriam, in grauescentis morbi sæuitia superatus, inter Enum & Licum amnes, in pago ignobili diem suum obijt, octauo Idus Decembris, anno Christi millesimo, centesimo

simo tricesimo octauo: Anno Mundi quinquies millesimo, centesimo: cum imperasset annos tredecim. Sepultus est in Lotharia Cæsarea Monasterio Saxoniæ, cui à se nomen indidit. Ante postremam expeditionem in Italiam coërcuit tumultuantes in vicinia Reges, Magnum Danicum, & Bribislaum Obotritum. In huius victoriæ memoriam trophæum erexit arcem Sigeburgum: & deinde prouincias huius Germaniæ, quæ est cis Herciniam, constituit.

Vxorem habuit Rixam, vt diximus. Ex hac natiei, filius Lotharius, qui annos pubertatis non attigit: filiæ Gertrudis & Heduuigis: quarum illam collocauit Henrico Superbo Bauaro, hanc Ludouico Barbato Comiti Turingiæ, nepoti illius Ludouici, cuius meminimus in Conrado Saliquo. Hunc Lotharius supra cæteros Turingiæ Comites, quorum numero erant duodecim, extulit, noua ornatum dignitate Comitis prouincialis seu Landgrauij, & vt antecelleret viribus ac potentia ijs quibus imperaret, auctam adiectione coniunctarum terrarum Hassiæ & Turingiæ, qui regionem vtramq; tenuerunt vsq; ad Ludouicum Vltimum: quo sine masculæ sobole extincto, auulsa est Turingia ab Hassia, hanc occupante Henrico Duce Brabantino, illam Henrico Marchione Misniæ, de quibus suo loco indicabitur.

HENRICO Superbo attribuit Saxoniam. Fuit hic nepos VVELTHI filij Azonis Ferrarienſis, cui, cum Vuelphus Vltimus abſq; maſcula ſobole deceſſiſſet, mater impetrauit Bauariam ab HENRICO Quarto, ſicut ſupra dixi. Huic nati filij VVELPHVS & HENRICVS, quorum vterq; Bauariam poſſedit. Sed VVELPHVS, cum ex vxore Mathilde Marchioniſſa Veronenſi ſobolem non ſuſtuliſſet, relicta illa domum reuerſus vitam cœlibem egit. HENRICO ex Vuulffhilde Magni Ducis Saxoniæ filia nati ſunt VVELPHVS & HENRICVS Superbus, quorum hic potitus Saxonia cum filia LOTHARII Gertrude, procreauit ex ea HENRICVM Leonem, parentem totius ſtirpis Ducum Brunſuuicenſium ac Luneburgenſium. VVELPHVS in Italia Principatum Sardiniæ, Ducatum Spoletanum & Thuſciæ Marchionatum, beneficio FRIDERICI Barbaroſſæ conſecutus, VVELPHVM filium huius nominis vltimum genuit. Horum cum CONRADO Sueuo & FRIDERICO primo Contentiones de Imperio poſteà perſtringemus.

Ducum Saxoniæ ſedes prima fuit ad Luneburgum. Hi poſitam contra Danos & Henetos Nordalbingorum regionem, quæ hodie Holſatorum eſt, tanquam ſuam adminiſtrarunt per aliquem ex familia natum, vt nunc moris erat, Comitum titulo, annos circiter centum quinquaginta. Magnus HERMANNO Primo vltimus commiſerat eam gubernationem vni, quem hiſtoriæ nominant Godefridum: quo obtruncato à Vandalis, LOTHARIVS Holſatiam ſubdidit ADOLPHO Comiti Scheumburgio, à quo deſcendit ſtirps Ducum Schleſuici & Holſatiæ, quæ produxit primos Reges Danicos & Comites Oldenburgios & Schaumburgios.

Auxilio Lotharij & Conradus Miſniæ Marchio, Boëmis tota ditione exterminatis, hæreditatem paternam acquiſiuit, cui eiuſdem promiſſo, & deinceps Conradi Sueui conſenſu, adiunxit quæ tenuerat VVIPERTVS Comes Groicenſis, ad Pliſſam & Eliſtrum amnes. Fuit enim CONRADVS natus ſorore HENRICI Comitis Northemij, cuius filia LOTHARII vxor erat.

Marchia Brandenburgenſis pertinuit tunc ad HENRICVM VDONIS Secundi filium, primi nepotẽ, qui & Stadenſes Marchiones nominati ſunt, VDONI Secundo eripuerat eam Bribislaus Obotritorum Regulus, inſtigatus ab HENRICO Quarto, quòd fuerat inter coniuratos.

Cùm ergo Bribislaus conuerſus ad religionem Chriſtianam adoptaſſet ALBERTVM Vrſum, HENRICO mortuo ſine liberis: hæreditatem ALBERTVS permiſſu CONRADI Sueui adijt. Fuit autem natus ALBERTVS patre OTTONE Comite Aſcaniæ, cui à coniuge, filia

Magni Ducis Saxoniæ, acceſſerat Comitatus Solduuedelenſis,

Lotharingia etiam bellis Henricorum quaſſata & exagitata grauiter, varieq; diſcerpta, dominos crebrò ſuos vario euentu mutauit. Lotharingiæ ad Arduennam tractus tenuit Henrico Quarto imperante Godefridus, is qui poſtea, Ducatu Bilioneo vendito, memorabili in terram Sanctam cum Balduino & Euſtathio fratribus expeditione, victricia arma per Aſiam Syriamq; in vrbem Hieroſolymam intulit, Turcis procul ex anteriore Aſia abactis ad Pontum: Saracenis depulſis atq; concluſis in Ægyptum, & regnum excitauit, quod ipſo mortuo adminiſtrauit Balduinus frater: Tertius Euſtathius domum ex Palæſtina rediit, à quo Iuliacenſes Principes ortum ducere exiſtimantur.

Godefrido in Lotharingia ſucceſſit HENRICVS ex ſtirpe Limburgenſium Comitum, is qui HENRICI Quarti partes ad extremum vsq; defendit. Filios hic reliquit CONRADVM & HENRICVM. HENRICVS in Hiſpaniam militat aũbijt: vbi cũ multa præclarè geſſiſſet contra Mauros et Saracenos, in præmium militiæ impetrauit ab Alphonſo Sexto, Rege Caſtiliæ & Legionis, notham ex pellice filiam Tireſiam & Protugaliæ regnum, circiter annum Chriſti milleſimum centeſimum decimum. Ab hoc origo eſt Regum Portugaliæ. Conrado abſq; ſobole maſcula mortuo, Henricus

cus Quintus Lotharingiam tradidit Godefrido ex Vuilhelmo fratribus, Louanij Comitibus. Hi partiti ſunt inter ſe Lotharingiam: Godefridus retinuit inferiorem & matri Rhenoq; proximam, Brabantiæ nomine, quod de Prouinciæ corrupto nomine extitit: Vuilhelmo ſuperior ceſſit, ad Arduennam ſyluam & Moſæ fontes. Hic Lotharingicos procreauit Principes ad Carolum vltimum, à quo deuolutus eſt Ducatus ad Fridericum Comitem ad Vadimont, autorem ſtirpis Ducum, qui nunc Lotharingiam tenent. Godefridus Brabantinos Duces & Haßiæ Landgrauios produxit. Sed cum Brabantinorum ſtirps interiiſſet, translatus eſt Ducatus ad Hollandiæ Comites: Inde ad Comites Lucelburgenſes, qui originem trahunt ab Hugone Comite, nepote Lotharij, qui filius fuit Lotharij Primi Imperatoris.

Sed huius loci non eſt mutationum omnium vicißitudines recenſere: Has recitaui, vt aliquid lucis afferrent præſenti commemorationi, & exempla monerent lectorem de ortu & interitu Imperiorum & familiarum. Non caſu accidere tantas mutationes cogitemus: Sed reſpiciamus, & ad Deum autorem Imperiorum, & ad mutationum cauſas. Quam longam texuit malorum ſeriem perfidia Pontificum? Quantam exigua initia pepererunt ruinam? Quantam poſtea confirmata Pontificum tyrannis addit cauſam euerſioni religionis & Imperij? quam ſecutæ ſunt

aliæ pœnæ, irruptiones & grassationes Turcicæ, & similes. Hæc cum videant, legant, cognoscant, & intelligant Pontificum satellites: tamen quæ possunt impudenter conquirunt, vt illis patrocinentur, & Tyrannidem tueantur.

DE REBVS ÆGYPTIIS ET TRANSLATO A CALIPHIS ad Sultanos Regno.

ETsi ordo rerum postulabat, hoc in loco dicere aliquid de occupata à nostris Argonautis Asia, & condito regno Hierosolymorum: tamen cum in ea ipsa expeditione decertandum fuerit illis præcipuè cum Turcis & Saracenis, & crebra fiat mentio Caliparum & Sultanorum, qui Ægyptum rexerunt: prius, quando horum in Ægypto regnum cœperit, quas & hoc pertulerit mutationes, & quos tunc Rectores habuerit, paucis monere volui, quæ illis afferrent perspicuitatem.

Ægyptum AVGVSTVS Cæsar post deuictos Antonium & Cleopatram ad Actium promontorium, redegit in formam prouinciæ. Ex eo tempore, etsi, vt fuit gens superba & contumax, multa admodum paruit alienis dominis, & sæpe ad quascunq; occasiones conata est sese asserere in libertatem: tamen superata & cohibita magnitudine potentiæ Romanæ vndiq; circumfusæ, iugum excutere nequiuit.

Post

Post translatam verò sedem Imperij in Græciam, & interitum Romani nominis, Græcis cessit: à quibus cum superbè auareq; imperitaretur, Ægyptij pertæsi seruitutis, euocatis in auxilium Saracenis, qui in Asia longè lateq; grassabantur, perq; eos subinde exturbatis atq; reiectis Græcis, Caliphan Saracenorum Ducem Regem sibi delegerunt. Is à Mahomete, qui religionem nouam ex Arij hæresi & disciplina Iudaica conflata Orienti dedit, originem duxit. Factum hoc, circiter annum à nato Christo septingentesimum tertium. Fuit autem hic alter gentis Saracenicæ Calipha, religionis pariter & imperij dominus, ab eo, quem aliquantò antè gens eadem occupata Persia in Babylonem collocarat, diuersus Imperio & superstitione. Autorem enim professus est suæ sectæ Halim, altero Baldacense Homarum iactante. A CALIPHA cæteri Reges, qui eum varia successione secuti sunt, per annos circiter quadringentos quadraginta septem, omnes veluti repetita veterum Pharaonum & recentiorum Ptolemæorum consuetudine, Caliphæ nomẽ acceperunt, quod supra monui lingua Saracenica significare Rectorem seu Imperatorem generalem, quia huic paruerunt cæteri.

Vltimus Regum eius nominis incidit in id tempus, quo Christiani GODEFRIDO Duce Asiã Syriamq; victricibus armis peruagati, ereptam Saracenis Hierosolymam regni noui sedem fecerunt. Is ab ALMERICO, qui Hierosolymis Balduino

succesſerat, bello laceſsitus, cum tantam belli molem ægrè ſuis viribus ſuſtineret, à Sultano Syriæ, qui Alepo præſidebat, & à Perſis alienus, Ægyptiæ ſectæ leges & rationes magis probabat, contractis vt ratiocmor contagijs ex vicinia: ab illo ergo ſubſidia Duce Sarraceno Impetrauit, circiter annum Chriſti milleſimum, centeſimum, quinquageſimum tertium.

Sarraco, cum repreſſo Almerico Chriſtianos tota Ægypto exegiſſet, captus amœnitate regionis, vbertate terræ, opulentia regni, & multiplicibus occaſionibus inuitatus ad ſpem regni, præſertim infirmis Caliphæ viribus: hunc nihil tale expectantem regno ſpoliauit, & in carcerem incluſit. Ex eo in poſterum Caliphæ, regia dignitate & poteſtate prorſus exuti, ſolis præfuerunt ſacris: Reges tamen Pontificum Romanorum ritu inaugurarunt. Ita Sarraco patriæ Hyrcanus, excuſſo Caliphæ Ægypti regnum ſibi & poſteris confirmauit. Nomen ſignificat lingua Ægyptia dominum certum ſeu confirmatum.

Sarraconi Saladinus, illius ex fratre nepos, ſucceſſit. Hic Chriſtianos in Syria & Palæſtina proſperrimo ſucceſſu debellauit, & ad extremum, afflictis opibus atq; acciſis viribus eorum, regnum Heroſolymorum euertit. Nomen ſignificat inſtauratorem iudiciorum, eo quòd regno leges nouas dederit, prioribus Caliparum ritibus & moribus abolitis, & certam

tam iudiciorum formam deſcripſerit & ordinarit. Moriens fratri regnum reliquit, à quo plures filij nepotesq; ex ordine Ægyptum rexerunt, vsq; ad Melechſalam, qui liberorum Regum poſtremus ex Sarraconis poſteritate cum Chriſtianis contimentur bella geſſit.

Melechſala erga cum veteranos, vt accidere tot prælijs fuit neceſſarium, & fortiſſimos ſuorum amiſiſſet, Ægyptiorum ingenijs & opibus diffiſus, noui generis præſidia ex venalitijs ſeruis comparauit. Inuaſerant ſub id tempus Aſiam per Caſpias portas Tartari, gens Scythica. Hi Comanos populos ad Cappadociam pertimentes, vbi Colchici, Iberi, & Albani habitant longo tractu, iuxta Pontum Euxinum, hodie Mentellinorum, Georgianorum, & Siberiorum nominibus celebres ac nati: hos ergo recens ſubiugatos, belli iure vendiderant ſub corona. Ex his Comanis Melechſala egregiam manum, non magno comemtam precio, in Ægyptum traduxit, & armis inſtructos, ſpeq; ingentium præmiorum ſi egregia fortitudinis documẽta in prælijs contra hoſtes ederent, excitatos, magna cura ad militares operas aſſuefecit: Cumq; opera eorum D. Ludouicum Gallorum Regem ad Daniatam Ægypti vrbem, quæ Heliopolis ſeu Peluſium fuit, memorabili prælio victum cepiſſet vium, & Fratrem Regis Robertum longius in Ægyptum progreſſum deleuiſſet: tanti eos fecit, vt inde cohortem prætoriam deſcripſerit, cui vitam corpusq; ſuum credidit, & phalangem inſtituerit in

qua posuit spem victoriæ contra hostes. Sed non multò post victoriam conspiratione seruorum Melechsala trucidato, regnum serui arripuerunt, cum id Sarraconis posteritas annos circiter centum tenuisset, exemplo vsitatissimo plurimorum, qui ad defensionem vel inuitati, vel conducti, rebus confectis socios oppresserunt. Nomen Melechsala significat Regem saluantem: quod ei tributum opinor propter partas de Christianis crebras victorias, atq; Ægyptum fortiter defensam, nouoq; præsidio munitam. Sedes Regum fuit in vrbe seu Memphi seu Babylone Ægyptia quam Alcairum appellarunt, id est, ciuitatem.

Qui post Melechsalam Ægyptum rexerunt, ex hoc nouo coëmtorum militum ordine, vel vi regnum inuaserunt, vel suffragijs id obtinuerunt conseruorum. Quò quisq; enim, cum è literario militariq; ludo exijsset, celerius virtute ac magnitudine rerum gestarum singulorum ordinum honores percurrit atq; promeruit, eò ad regnum citius peruenit. Vicissim autem hi lege & instituto gentis, ordinem, ne minueretur ac deficeret, instaurarunt, atq; expleuerunt nouo milite, aut mercede comparato ex eadem gente, aut allecto spe honorum & præmiorum, Ægyptij Comanos ipsos Caphac nominarunt, id est, plagio abreptos ad seruitutem.

Fuerunt autem ferè præcipui omnes Heneti Sarmataq; & Getæ ac Bastarnæ, qui ad Pontũ & Mæotidem

tidem habitarunt, ab ea maximè parte, qua Corax amnis in Euxinum effunditur. Regionem recenti vocabulo Cercassiam vocant à Cercitis populis, qui in Colchidem vergunt. Eum enim Euxini maris tractũ incolunt, qui à Colchis ad Bosphorum contra Tauricam Chersonesum extenditur, Aquilonis flatibus obiectus, perpetuoq; rigens gelu, & propterea squalidus rerumq; prope omnium inops. Eadem hi lege atque ijsdem Ceremonijs Christum Deum adorant, quibus vicini à Septentrione Moschi & Roxolani, Græcorum ritus sequentes, vti solent. Hos Cercassos Vualachi antiquitus Gotti qui Istro adiacent, & Tartari, qui Tauricam ad Dromum ACHILLIS inhabitant, aliæque finitimæ gentes Podolij, Sarmatæ, Roxolani, vel ab vberibus matrum abstractos, vel alijs interceptos casibus, venditerunt mercatoribus: è quibus postea delectu habito, si qui eorum corporis et virium robore, vel generosi animi indole præstiterunt. hos illi nauibus Alexandriam atq; inde ad Memphiticum regem perduxerunt, vbi adultiores abiurato CHRISTO circumcisos, lanistæ ad hoc destinati, primum in ludo litterario religione Mahometica erudierunt, postea inde eductos ad militiam armorum equorumq; tractatione, exercuerunt. Mamaluchi ei deinceps dici cœperunt, quæ vox circumcisos significat.

Fuerunt autem Mamaluchi Christianæ religionis desertores omnes, à captiuitate Mahometanus sa-

cris

eris initiari: Cumq; contumelioso in filium Dei decreto constitutum esset, ne ad regnum admitterentur alij quàm ex hab gente orti, vel ex hoc saltem ordine delecti: cautum etiam fuit, ne in Equitum numerum adscriberentur, nisi Christianis parentibus nati, & Christiana religione imbuti, si fidem Christianam iuramento prius abdicassent: Mahometani & Iudæi arcerentur. Ex hac lege neq; ad Mamaluchorum filios iura dignitatis equestris transibant, nec ad filios à Sultanis regnum transmittebatur.

Primus è seruis, qui post interfectum Melechsalam arripuit imperium, & nomen Sultani, quod Regibus omnibus post sublatos Caliphas commune fuit à primo Sultano, gentili nomine vocatus est Turquemenius: qui cùm pristinæ conditionis immemor, conseruos, à quibus principatum acceperat, insolentius despiceret, à Cotho pariter Equite Comano domi obtruncatus est.

Cothus salutatus Rex ab exercitu seruorum, cum relictos ab Hyalone in Syria Tartaros latè cecidisset, victor domum rediturus, in itinere oppressus est. Interfector Bendocader regnum obtinuit. Vocatus est autem Cothus Melechmoës à tributorum exactione, quæ maiora, quàm cæteri, Ægyptijs ad bella Tartarica extorsit, id est, Rex tributi exactor.

Bendocader regnum adeptus Melachdaër dici cæpit, id est, Rex vehemens & acer. Hic Mamaluchorum

rum potentiam plurimum auxit, Richardo Britanniæ Rege & reliquis Christianorum copijs tota Syria profligatis. Recuperauit Antiochiam, anno à Christo nato milleſimo, ducenteſimo, ſexageſimo octauo: Indeq; progreſſus magnas clades Armenijs intulit. Damasci obijt veneno necatus.

Melechſait filius Bendocaderis, id eſt, Rex ordinarius aut legitimus. Hunc patri ſucceſſurum depulit Elpis.

Elpis, quod nomen ſi Ægyptium eſt, geſtientem ſignificat & exultantem, regnum cæde conſecutus, Tripolim Chriſtianis ademit, anno à nato Chriſto milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo nono: trucidatus eſt ab vno ſatellitum ſuorum in caſtris.

Melech Vſtrephus vel Melechſeraph, id eſt, Rex vrens, à ſæuitia & crudelitate. Hic Ptolemaidem, quæ ſola inter omnes Chriſtianos ad extremum reliqua fuit, vi expugnauit, anno Chriſti milleſimo, ducenteſimo, nonageſimo primo: interfectus eſt à ſuis in vnatione.

Secundum hos longa ſerie plures eiusdem conditionis viri fortes Ægyptum rexerunt, vt Melechnaſer, id eſt, Rex Aquila vel ſublimis: item Melechadel id eſt, Rex cunctator vel ceſſans qui metu & ſuorum & Tartarorum ſeſe continuit intra vrbem Alcairum: alijq; quorum & nomina obſcura ſunt, & ignorantur res geſtæ vſq; ad Caitbeium Sultanum. Hic patrum noſtrorum memoria diuictis ſemel ad

Ade-

Adenam, iterum, ad Tarsum, copijs Turcicis non magno Mamaluchorum numero, & captis duobus præcipuis Ducibus, Mesite Paleologo & Cherseogle Baiazetis genero, Mamaluchis illustrem gloriam peperit, Turcis ingentem incussit terrorem. De hoc Caitheio & successoribus, vsq; ad vltimum Tomumbeium, quo ad portam Memphiticam suspenso, Selimus Turcorum Tyrannus regnum Mamaluchorum demolitus est, infrà dicemus.

Tenuerunt autem Ægyptum Mamaluchi annos circiter ducentos sexaginta, serie numerata à Turquemenio vsq; ad Tomumbeium.

Ita Ægyptus, quæ Ecclesias primas & florentissimas habuit, plantatas Apostolorum prædicatione (Alexandriæ enim primum docuit MARCVS Euangelista, PETRI Apostoli ex sorore nepos) quæq; regnum fuit pulcerrimum, conuersa est iusto Dei iudicio in arcem blasphemiæ, & stabulum pessimorum latronum. Et tota inde vsq; ab Ario hæretico, historia Ægypti plena est turpissimorum exemplorum & tristissimarum pœnarum. Natum est Alexandriæ dogma Arij: Id gens Ægyptia magna leuitate, vt fuit in superstitionē promissima, repudiata doctrina saniore, celeriter amplexa est: Postea simili leuitate desciuit ad detextos inde furores Mahometicos: et odio magis Christianæ religionis, quàm fastidio præsentis Imperij Græcorum, attraxit Saracenos. Secutæ sunt ergo pœnæ, quæ blasphemiam etiam in hac vita comi-

comitantur, in quibus adhuc hæret Ægyptus: horribilis & perpetua cœcitas in mentibus auulsis à Deo, scelera abominanda, crudelis seruitus corporum, quam sustinuit Ægyptus per annos octingentos, toties mutatis barbaris & impotentibus Tyrannis: Sed multò tristius malum est, vagari sine Deo, esse abiectum & desertum à Deo, & tandem ruere in æternas pœnas. Seruitutem hanc vtrāq;, & animorum occupatorum opinionibus blasphemis, & corporum accersiuit ac imposuit sibi sua leuitate gens Ægyptia. His exemplis excitemur ad amorem & studium veræ doctrinæ, & timorem Dei atq; inuocationem: & regi nos petamus diuinitùs: ne ex securitate incidamus in furores similes, quibus postea in exitum nosmetipsos præcipitemus. Vt autem tyrannis Mahometita Arianos furores vlta est: sic cogitemus Mamaluchorum in Syria, & Turcorum postea in Asia & Europa successus, Idolatriam multiplicem Romanæ Ecclesiæ, atq; illam præcipuè, quæ fuit in Ethnica statuarum adoratione, in abusu Missæ & cultu Idoli Maozim, vindicasse: & vindicaturam esse multò grauius, nisi emendatio suscepta fuerit: secuturamq; tandem, extincta luce doctrinæ, cœcitatem similem cum tristissima corporum seruitute: quam à nobis, vt auertat atq; depellat Deus misericors Pater Domini nostri Iesu Christi, assiduis votis precemur.

Considerentur & tragici Tyrannorum exitus, & mutuæ inter se eorundem laniena.

De-

LIBER QVARTVS DE SVSCEPTA IN ASIAM EXPEDITIONE DVce Godefrido Bilioneo, & de constituto regno Hierosolymorum.

INcidit in HENRICI Quarti Imperium memorabilis illa nostrorum Argonautarum expeditio in Asiam, suscepta non cupiditate opum Orientis, vt olim Principum Græciæ Colchidem ad rapiendum aureum vellus, quæ tot Poëtarum est celebrata monumentis: sed consilio sanctissimo studioq; acerrimo & ardentissimo, scilicet vt proferrent noticiam Filij Dei, Ecclæsiæ ampliatione, & orientem ereptum tyrannidi blasphemi dogmatis & crudelis iugi Mahometici, vindicarent ac lucrarentur Christo: deniq; vt pro conseruata ac multis pcæclaris monumentis illustrata & communicata nobis doctrina primæ Ecclesiæ, vicissim dispersas tota Asia teliquias Christianorum, & sine certa sede sineq; publica doctrinæ voce errantes, prædicatione verbi, & Sacramentoram libera solenniq; administratione colligerent rursus, conditis templis vel repurgatis, instituto ministerio, legibus & iudicijs descriptis. Hæc enim vera fuit causa susceptæ tam longæ, difficilis, & periculosæ expeditionis: ad quam accesserunt & aliæ caussæ, quòd huius sacræ militiæ Duces, dilacerationis & ruinæ patriæ ex conflictu inter sese mutuo ciuium collabentis, spectatores amplius & aditores esse nollent, & quòd

quòd se abrupturos inteſtina bella sperarent, Germania milite exhausta.

Dux militiæ præcipuus fuit Godefridus Bilioneus Lotharingiæ Princeps, cuius industria, magnitudine animi & virtute, HENRICVS Quartus hactenus in bellis ciuilibus fuerat superior, vir armis pariter & consilio animoq; promtissimus & accerrimus. Hic impetrata missione ab Imperatore, & consensu eiusdem Ducatu paterno vendito Episcopo Leodiensi, pecuniam omnem in belli apparatum insumsit, adiunctis sibi fratribus Balduino & Eustathio. Accesserunt ad eum ex Germania, Gallia & Italia ROBERTVS Flandriæ Comes, è vetustissima Francorum stirpe: HVGO frater PHILIPPI Regis Francorum: ROBERTVS Dux Normannorum Anglici Regis filius: Boëmundus Tarentinorum Princeps ROBERTI Guiscardi Normanni filius: & plures alij, quorum aliqui terra, aliqui classe Ducem secuti, se ad Byzantium cæteris coniunxerunt.

GODEFRIDVS contractis terrestribus copijs vniuersis, ex Lotharingis, Frisijs, Sueuis, Saxonibus, Francis & Bauaris, iter ingressus est decima quinta die mensis Augusti, anno Christi millesimo nonagesimo sexto.

Præcesserant GODEFRIDVM tres alij exercitus numerosissimi & instructissimi: quorum primus, Duce PETRO Eremita, peragratis finibus

Vngariæ, Bulgariæ & Thraciæ, superatoq; Hellespontο, euaserat in Asiam, nullas nisi à solis Bulgaris passus iniurias. Hunc SOLTMANNVS Turcus Niceæ Sultanus totum ad internecionem iam ceciderat: Reliquos duos deleuerant Vngari: quorum postremus circiter ducenta peditum millia & tria equitum millia habuisse traditur. Secutus ergo GODEFRIDVS quartum exercitum Constantinopolin vsq; perduxit ante anni finem, imperante Græcis ALEXIO COMNENO, quò primo vere & cæteri socij classe copias suas adduxerunt. Ibi cum Græcis auxilijs, traductas in Asiam copias vniuersas, & ad Chalcedonem, quæ hodie Scutarium est, congregatas, atq; ordine distributas lustrassent: sexcenta peditum millia, equitum loricatorum centum millia numerata sunt, qui sponte militatum profecti sunt suis stipendijs, pietatis studio.

Imperabant tum toti Asiæ anteriori Turci à Ponto ad mare mediterraneum vsq; & Hellespontum: eam vix triginta aut quadraginta annis antè irruptiones nostrorũ hominum subegerant, exclusis Græcis & Saracenis, & accisa potentia Caliphæ virisq; Babylonij & Ægyptij. Promouerant enim Imperij limites vsq; in Palæstinam, expugnata vrbe Hierosolymorum, quam Ægyptius Calipha postea recepit: In Syria eos ab Ægyptijs dirimebat Laodicea. Turcis autem sub id tempus imperabat Belchiarocus à primo Zodoco quintus.

Prima

Prima igitur συνέξαξις in ipso Asiæ aditu, & quidem asperrima ac difficilima fuit nostris, cum acerrimo Turcorum SVLTANO SOLTMANNO, qui Niceam Bythiniæ vrbem, Synodi Nicenæ memoria celebrem, firmo præsidio tuebatur contra Græcos. Hac post virginti sex dierum obsidionem vi effracta, captaq; quinto Idus Iunij, anno millesimo, nonagesimo septimo, feliciterq; repulso exercitu SOLTMANNI, qui digressis ab vrbe incubuerat, reliquas Asiæ prouincias, Lycaoniam, Ciliciam, Syriam, Mesopotamiam, Comagenam, quatuor annorum spacio penè omnes, partim cæsis, partim fugatis inde Turcis, perdomuerunt: quaceleritate tantum iniecerunt terrorum Saracenis, vt CALITHA Ægyptius desperatione quadam obuiam missis legatis amicitiam & fœdus petierit.

Antiochiam ad Orontem fluuium nouem mensium difficili obsidione fatigatam, tandem proditione ceperunt tertio Nonas Iunij, anno Christi millesimo, nonagesimo octauo. Sed repentino & improuiso aduentu auxiliorum Persicorum, quæ à Sultano Pelchiaroco adduxit Cardagatus Persa, rursus intra vrbem nullo commeatu instructam concluſi, obsidionem sustinuerunt rerum necessariarum inopia multò difficiliorem, quam pertulerant hostes, cum natura scilicet luctati simul & hostibus. Tandem fame compulsi ad dimicandum, magno ausu conatuq; eruptione facta, & copijs Persicis fusis fugatisq; obsidionem soluerunt.

Hierosolymam tum Saraceni tenuerunt. Nam paulò antè eam Turcis pulsis receperant: cum Turci, vt suprà monui, Saracenis ademtam, possedissent annos octoginta octo. Nostri vicissim Saracenis excussis, ceperunt eam Idibus Quintilibus anni sequentis, triginta octo dierum continua oppugnatione grauiter quassatam: cum penè desperatis rebus essent reuocati ad nouam aggressionem ostento, quod ex monte Olueti, præfulgidi clypei agitatione, fecerat spem victoriæ. Ibi regni sede constituta, consentientibus sententijs Regem Hierosolymorum declararunt GODEFRIDVM Ducem, qui solenni initiatus ritu, spinea exemplo Christi Saluatoris, non aurea Corona, ornari voluit.

Occuparat iam antè Ciliciam, Comagenam & Mesopotamiam Balduinus frater Regis, qui Edessani Comitis titulum vsurpauit. Est enim Edessa Comagenæ ciuitas, quæ Rages dicta est in historia THOBIAE, hodie Orphæ cognomine dignoscitur. Tyberiadem recens captam, beneficio Regis obtinebat Tancredus, nepos ROBERTI Guiscardi ex sorore.

Syriam ex Antiochia administrabat Boëmundus: hæc in sacris literis Reblata est.

Cùm ad hunc modum regni sedes & arx belli in Hierosolymorum vrbem collocata esset, deinceps inde reliquam Palæstinam, Syriam & Phœnicum regionem debellarunt circum circa GODEFRIDI successores. Ipse enim vno tantum anno rerum potitus,

tus, decimo quinto Calend. Augusti, anno Christi millesimo, centesimo: fato functus est.

GODEFRIDO successit BALDVINVS frater Comes Edessanus: hic ad regnum euectus cessit Edessam Balduino de Burgo consobrino: & Antipatridem, Cæsaream, Ptolemaidem, Tripolim, & Berythum vi expugnatas regno adiecit, edita ingenti strage Saracenorum.

Expugnatæ etiam tunc sunt Apamea & Laodicea Syriæ vrbes, et Carræ Mesopotamicæ ex ABRAHÆ historia notæ, Tancredo & Raimundo Tolosano ducibus. Decessit autem Balduinus anno Christi millesimo, centesimo, decimo octauo, Regni decimo octauo, postquam reuersus esset ex Ægypto, capta insula Pharo: quo tempore repetiuerunt patriam Robertus Flandriæ Comes, Eustathius Regis frater, & Boëmundus Apulus.

Post BALDVINVM Tertius regnum possedit Balduinus de Burgo. Hoc Rege, maturo & salubri consilio institutus est Hierosolymis Equestris ordo militiæ sacræ, qui excubias ageret pro Christiano Orbe perpetuas, & Regi adesset in reprimendis & extirpandis hostibus nouo regno infestis, finibusque tutandis, & præstaret accedere terram sanctam volentibus tuta itinera, terra mariq; latronibus depulsis. Hic ordo à professione S. IOHANNIS nomen adeptus initio, postea Dominorum Rhodiorum titulo celebratior notiorq; euasit, cum plurimas maris

mediterranei Insulas bello domitas perpetuò contra Saracenos & Turcas præsidio muniuisset, magno Europæ vniuersæ cum commodo. Plurimum enim profuit Orbi Christiano eorum Equitum vigilantia & virtus, dum viguit. Diu enim represserunt hostes vtrosq; magno successu, adiuti vicinorum Regum & Imperatorum auxilijs: Nunc deserti ab omnibus, & Imperij Turcici circumfusa potentia fracti, Rhodo amissa, ægrè sese intra Melitæ insulæ angustias tuentur & sustiment.

Cùm autem assiduè magna multitudo certatim, partim religionis, partim militiæ causa, in Palæstinã conuolaret, exemplo illorum alijs similiter sese coniungentibus: nouæ duæ ibidem familiæ sacrorum militum conditæ sunt, Templariorum & Teutonicorum. Feruebat enim in animis hominum ardor belligerandi pro gloria Dei & Ecclesia, successus crescentis superstitionis opinione & victoriarum exemplis.

Templarij cœperunt, autoribus, vt vocantur, HVGONE de Paganis, & Ganfredo de S. Adelmaro. Hi primò ad vrbem Hierosolymam consederunt, destinati adducendis tutò reducendisq; ijs, qui nauibus appulsi peregrè ad vrbem commearent & remearent, vrbiq; custodiendæ. Nam limites longius ab vrbe tutabantur cæteri cõtimentibus aduersus hostes bellis. Sed breui tempore in præcipua dispersi regna Orbis Christiani, & piè largaq; beneficentia hominum

minum immensis locupletati opibus, cum sese in aulas Principum insinuassent, ita degenerarunt à sua maiorumq; virtute, grauitate, fide, priscimoq; restituto, vt de tollendis illis Principes cogitare oportuerit. Et quidem inita in illorum cædem consilia, structasq; insidias Monarchis miro silentio occultantibus, passim toto orbe Christiano penè vno momento simul excisi sunt atq; extirpati vniuersi, ducentesimo ferè ex quo cœperant anno, imperante HENRICO Septimo. Supremus familiæ Magister sedem habuit Hierosolymis,

Teutonicorum familia, quos à professione & Symbola Marianos nominant, initiũ habuit ad Ptolemaidem imperante HENRICO Sexto: Anno Christi millesimo, centesimo, nonagesimo, decimo tertio Calend. Decembris, autoribus quibusdam ciuibus vrbium Bremæ & Lubecæ, qui magnis sumtibus ædificato & instructo ibi Xenodochio in vsum eorum, qui familiæ insererentur, postea cum numerus creuisset, ceu colonias inde in Germaniam deduxerunt. Gubernatio familiæ commendata fuit cuidam HENRICO Vualpodio, qui primus munus, vt vocant, Magistri obijt. Nouæ Coloniæ in Germania auctæ et roboratæ numero, opibusq; ditatæ, FRIDERICI Secundi Imperio Prussiam, & aliquantò antè Liuoniam, domitis barbaris gentibus, Imperio adiecerunt: & diu exceptis repressisq; feliciter ferarum gentium irruptionibus, velut murus has regiones protexerunt, de quibus suo loco.

Consilium institutionis fuit optimum & sanctissimum, quo spectatum aliud nihil est, nisi plantatio & propagatio Ecclesiæ in genere humano, & Imperij ampliatio. Quid verò potest suscipi geriq; pro gloria nominis diuini laudabilius, ijs operibus, quibus dilatatur Ecclesia, abolentur Idola, multi adducuntur ad veram Dei agnitionem, exuitur Barbaris feritas, & præstatur defensio? Consilio etiam respondit euentus initio, cum ex vero zelo profectos, acres & ardentes animorum impetus homines pij ad rem tantam adferrent, & conatus regeret atq; adiuuaret Deus. Sed vt nihil est in rebus humanis perpetuum, aut durabile: ita cum pericula superata essent, paulatim consuetudine ex opum & ocij abundantia, deciderunt hæ familiæ à pietate, integritate & fortitudine, in Epicuream securitatem, luxum, mollitiem & ignauiam: & nimio studio suarum voluptatum prorsus abiecerunt curam Ecclesiæ, religionis & disciplinæ, in qua vt rudis & imperita multitudo rectè institueretur, & assuefieret ad cultum humaniorem, abducta ab Idolis & beluina feritate, præcipuè præstare debebant.

Secutæ sunt ergo pœnæ, quas cernimus. Liuonia, quæ per annos ferè quingentos virtutis Germanicæ præmium, victoriarũ de Barbaris partarum Trophæum, Imperij aduersus eosdem præsidium fuit, auulsa ab Imperio discerpitur à vicinis Regibus impunè: Prussia aliquantò antè perijt. Sic acquisita virtute

tute multoq; maiorum sanguine, flagitiosa ignauia perdantur.

Sed redeo ad Reges Hierosolymitanos. BALDINVS depulit aliquot magnis prælijs ex parte vna Turcos, qui Damascum tenebant, ex altera Saracenos Ægyptios: Expugnauit Tyrum, anno millesimo, centesimo vicesimo quarto, tertio Calend. Iulij, & postea Raphaneas in Cassiotide. Decessit anno Christi millesimo, centesimo, tricesimo primo, regni decimo tertio, vndecimo Calend. Septembris.

Hoc mortuo Principes distracti dissidijs: mulierum ambitione excitatis, cœperunt inter se belligerari, refrixit paulatim ardor pietatis & elanguit virtus. Itaq; neq; virtus est diuturna, neq; felicitas, & citò discedunt posteri à vestigijs & exemplis maiorum. Creuerunt & dissensiones: belli duces defecerunt & præsidia: mulieres administrationem rerum & Imperia hæreditarij iuris prætextu traxerunt ad se, & in quos deperierunt insana libidine, eos ad regnum pet connubia sustulerunt. Ex his creuit animus hostibus acerrimis, & in omnes occasiones rei gerendæ intentissimis, qui sibi non defuerunt & suis rebus.

Fulconem Comitem Andegauensium Balduini generum, constitutum in regno contentiones domesticæ exercuerunt, motæ de Principatu Antiocheno. Interijt is anno Christi millesimo, centesimo, quadragesimo secundo, regni vndecimo, Idibus Nouembris,

præcipit lapsu concitati equi terræ allisus in venatione ad Ptolemaidem, relictis impuberibus filijs Balduino & Almerico.

Balduino impuberi auxilium tulerunt CONRADVS Suevus Imperator terra, LVDOVICVS Francorum Rex mari. Sed Imperator magnas in itinere perpessus clades, infeliciter tentata oppugnatione Damasci & Ascalonis, domum re infecta miserabiliter redijt, postquam amisisset omnem exercitum, partim alieni atq; insueti cœli iniurijs, partim itinerum difficultatibus & commeatus penuria absumtum. Ascalonem tandem Balduinus deditione cepit. Is decessit in Berytho, Idibus Februarij, anno Christi millesimo, centesimo, sexagesimo secundo, regni vicesimo quarto.

Almericus frater Balduino successit. Inuasit Ægyptum, dimicauit cum Sarracone Sultano, qui Ægypto recens occupata abrogarat Caliphis Imperium, & successore eius Saladino, sed infeliciter. Suppetias tulit Almerico FRIDERICVS Imperator: sed ante res confectas præpropera morte abreptus, animum Seladino, quem victoriarum successu ei ademerat, interitu suo reddidit. Decessit Almericus anno millesimo, centesimo, septuagesimo tertio, regni duodecimo, Idibus Iulij, relicto Balduino filio impubere, qui Elephantiasi correptus, cum de prole desperasset, Regem instituit Balduinum VVILHELMI Longatesspatæ Marchionis Montisferrati filium

filium, nepotem ex sorore Sibylla: cui etsi Raimundum Comitem Tripolitanum testamento tutorem designarat, tamen Guido Lusignanus pueri vitricus, cui Sibylla Balduini mater nupserat, illo extruso, in administrationem regni, & tandem priuigno mortuo in regnum ipsum vi sese ingessit: Ob quam rem cùm venisset in suspicionem dati puero veneni, bello petitus à Raimundo, attraxit Saladinum ex Ægypto: qui, vt fit cum inuitantur ad belli societatem potentes & infesti vicini, oppresso vtroq; magnas rebus Christianis in Palæstina Syriaq; & Mesopotamia cladem intulit, & tandem regnum destruxit, acceptis in deditionem vrbibus, Ptolemaide, Azoto, & Berytho, & Ascalone, ipsaq; regia vrbe oppugnatione vnius mensis capta, anno Christi millesimo, centesimo, octogesimo septimo, postridie Calend. Octob. anno, postquam à Godefrido occupata fuit, octogesimo octauo.

Hic finis fuit regni Hierosolymitani, verè heroica virtute, concordiq; conatu primorum regum instaurati, vt terra sancta repurgata ab inquinamentis blasphemiæ Mahometicæ, rursus fieret sedes Ecclesiæ Dei: ambitione verò & discordijs successorum proditi atq; euersi.

In ipso captæ vrbis tumultu Sibylla cum quatuor liberis occubuit: cuius soror Isabella maritum habebat Honfredum Toronium, à quo vi eam abripuit CONRADVS Marchio Monferratensis, regnum sibi coniugis prætextu vt vendicaret: sed à sicarijs

rijs, quos Saraceni Arsacidas vocant, in foro trucidatus est. Ita de stante & florente regno, odijs, ambitione ac perfidia: de amisso, cædibus etiam certatum est: Marchionis CONRADI crebrò memmerunt historiæ Græcæ. Magna enim illi cum Imperatoribus Orientis interceßit coniunctio ac neceßitudo. Isabellam HENRICVS Campaniæ Comes, Tyri dominus, ad se transtulit: sed titulum Regis Hierosolymorum recusauit, quòd eundem sibi liberisq; ex Sybilla natis arrogaret Guido Lusignanus. Hic cum RICHARDVM Angliæ Regem, in tlinatas penéq; collapsas res Christianorum in Asia instauraturum, pecunia adiuuisset: Cyprum, quam Richardus recens Alexio Comneno Tyranno capto relegatoq; in exilium occupârat, pro ea pecunia obtinuit. Huius posteri tenuerunt Cyprum, vsq; ad IACOBVM Lusignanum Regem vltimum: quo mortuo Veneti memoria patrum Cyprum suam fecerunt, vidua, quæ Veneta mulier erat è Corneliorum gente, exaggeratione periculorum, quæ à Turcis impenderent, persuasa, vt abdicato regno, cui nouum Regem matrimonio erat inductura, in patriam reuerteretur.

Post Guidonem regnum Cypri AL MERICVS frater excepit, adiecitq; ducta in vxorem vidua Isabella regni Hierosolymitani titulum & Tyri principatum. Hunc, quòd negligentius administraret reliquias Christiani regni in tanto rerum discrimine.

Iohan-

Iohannes de Bregna nobilis Gallus Tyri dominatu exuit. Hic Iohannes iuuit Andream Vngariæ Regem Belæ Tertij filium, Austriæq; Ducem & Comitem Niuernensem, oppugnantes Damiatam Ægypti: in qua oppugnatione ardenti tragula ictus vstulatusquè, indicijs cum Sultano factis, redijt in Galliam, & regnum Hierosolymorum cum Iole filia, quam ex Iole Conradi Marchionis Montisferrati & Isabellæ filia susceperat, dotis loco tradidit FRIDERICO Secundo Imperatori, à quo titulus regni deuolutus est ad Reges Neapolitanos. De hoc FRIDERICO & cæteris Imperatoribus, qui ante eum res Christianas in Asia erigere ac restituere conati sunt, suo loco dicemus.

Nauarunt aliquid in his bellis Respub. Italicæ, Veneta, Genuensis & Pisana, quæ tunc opibus antecellebant & viribus, sed eo consilio & euentu, vt belli sumtus, labores & pericula deriuarint in socios, præmia & fructus transtulerint ad sese, potiti & præreptis interceptisue tota Syria spolijs, è quibus peramplæ eis opes accesserunt, & maris Imperio, quo confirmatæ sunt vires, quarum fiducia & mouerunt multa deinceps, & Veneti cæteris oppressis Italiæ Imperium affectare sunt ausi, quod esset Imperatorum potentia Pontificum artibus languefacta.

Latæ dominatæ sunt in mari hæ Respub. post exclusos ad hostibus tota Asia Christianos. Genuensium

Impe-

Imperium toto mari incommodè dispersum, ad ipsam vsq; Tauricam Chersonesum sese extendit per Ægæum mare, Hellespontum, Bosphorum, Thracium & Pontum Euxinum. Diu enim tenuerunt Capham celebre in Taurica Emporium, quæ est Theodosia veterum, & defenderunt fortiter Byzantini Imperij limites, vrbemq; ipsam, contra augescentem & ex propinquo vndiq; imminentem Turcorum potentiam. Corsicæ & Chio insulis adhuc hodie imperant.

Veneti rectiore consilio ex Creta, quæ nunc Candia est, Istriæ Illyricoq; peropportuna ad firmum stabileq; Imperium commoditate, coniunxerunt Peloponnesum & Cycladas insulas longo tractu Thessalonicam vsq; ex parte vna, ex altera Ionij maris insulas & littora: Sed citò aliena virtute parta opulentia in æmulationem abijt, æmulatio in bellum exarsit: quod cum ad Ptolemaidem ex leuibus initijs natum esset, Pisanis oppressis, reliquas duas, longo tempore exercuit. Diu enim inter se de maris Imperio decertarunt vario euentu, quaternis vicibus, bello redintegrato: donec Genuenses ad extremum magno prælio victi ad Methonem, Imperium maris Venetis reliquerunt.

IM-

IMPERATORES ORIENTIS VSQVE AD Francos.

CALOIOHANNES ALEXII Comneni filius.

IMperatores Orientis, pro innata genti malitia penè plus nocuerunt rebus Christianis in Asia occulta perfidia, quàm hostes vi manifesta. Nam ne progredi possent, seq; confirmare, impedierunt vbicunque fuit occasio, commeatu aut denegato, aut interverso, aut infecto & adulterato: auxilijs interceptis, clàm insligatis si quiescerent, atq; adiutis hostibus: vel Christianis spe amicitiæ, aut fictis occasionibus rei contra Barbaros gerendæ in discrimen adductis: deniq; de populatione occupatarum prouinciarum, amicitias & fœdera fide dubia coluerunt, extimescentes suspicaci metu efflorescentem potentiam nouorum hospitum, & inuidentes gloriæ ac successibus eorundem, & dolentes ab exteris & alienis quasi præforibus intercipi, quæ non multò antè maioribus Barbarorum violentia extorta, reditura ad sese sperabant.

Accidit autem hoc ipsum paulò pòst, vt exciterentur à Francis. Ferè enim aut in ea nos mala præcipitamus ipsi, quibus occurrere immaturis consilijs, quæ aut virili humanarũ, aut sapiẽtiæ vel calliditatis fiducia, sine Deo amoliri ac depellere conamur: aut

aut cum fatalibus vrgemur pœnis, dum contra fata mirifico, vt videtur, æstu apparatuq; tendimus, in fata ipsa ruimus, & vt apud Platonem dicitur, fugientes fumum seruitutis, in ignem seruum incidimus. Sed nec Franci diu imperarunt, astutis leuium ingeniorum artibus euersi, quòd incertæ dubiæq; beneuolentiæ fiducia, nimium sese & aperirent & crederent animo studioq; alienissimis, ex suarum naturarum simplicitate & rectitudine illorum subdola & fraudulenta ingenia non rectè æstimantes.

Vituperatur præcipuè ALEXII Comneni perfidia: huic Caloioannes filius successit, Patre & victorijs bellicis & opibus superior, & vir melior. Nam in Asia Turcos repressit, in Europa Scythas, Tartaros Thracia Macedoniaq; expulit, in quas Alexio Comneno imperante ex Septentrione inuolârant tantis agminibus, vt locustarum instar omnia obruerint atq; compleuerint. Hæc Tartarorum, quos Græci vniuersos veteri nomine Scythas appellant, prima fuit in Europam irruptio: inde per Vngariam effusi Poloniam, & magnam Sileliæ partem, celeri per loca plana atq; expedita progressu, cædibus, incendijs, rapinis ac deprædationibus horribiliter pervastarunt. Paulò antè per Caspias portas Asiam adorti, tentarant regnum Turcicum ad Pontum. Sed de his infrà plura. Tartaris summotis bellum fecit Hunnis, quibus ad Sani Istriq; confluentem profligatis propè Belgardum, in loco nobilitato stragè Francorum, quos in

in Asiam militatum profecturos ab Vngaris diximus esse cæsos: φραγκοχώριον enim nominatum in historijs reperio: tunc ergo bonam inferioris Pannoniæ partem edomuit, Legatos misit ad LOTHARIVM Saxonem, gratulatum depulso ex Apulia ROGERIO. Postea & cum CONRADO Sueuo fœdus fecit, & affinitatem contraxit, data filio MANVELI in vxorem sororĕ Gertrudis coniugis CONRADI, filia Comitis Sultzbachici.

A Raimundo Principe Antiocheno emit vrbem Antiochiam, cum esset pecuniosus: Hãc occupaturus, cùm prohiberetur ab Episcopo Gabulensi, iratus Syriam depopulatus est. In reditu, vbi Cilicum fines attigisset, memorabili exitu vitam finijt, manu ad digitum minimum venenatæ sagittæ illapsu strictim læsa, quam vnà cum alijs aper ab eo sauciatus subito insultu pharetra excusserat, ex læsa parte veneno celeriter in omnes corporis partes discurrente. Locum in quo id accidit Coruorum nidos cognominatum fuisse, & ambiguo oraculo, indicatum tradunt: ὦ πῶς γενήσῃ βρῶμα δεινῶν κοράκων. Fuit enim gens Græca dedita plurimum atq; addicta χρησμολόγοις, qui Magiam prætextu diuinatricis Physicæ exercuerunt. Ab his sicut antiquitùs ab oraculis, responsa petita sunt: vt fit, extincta vera inuocatione & corrupta doctrina Ecclesiæ. Decessit cùm imperasset secundum Nicetam annos viginti quatuor, secundum alios viginti quinq; menses octo. Filios habuit quatuor, quo-

rum duo ALEXIVS & ANDRONICVS obierunt viuo Patre: de duobus reliquis MANVELEM natu minimum maiori ISAACIO, tanquam ad gubernacula parum idoneo, prætulit.

MANVEL COMNENVS.

MANVELEM hanc humili natum loco, & Tryphonis cognomine à pueris derisum, sunt qui vxorem Alexij Principis, ob consuetudinem interiorem, ad Imperium extulisse prodiderunt: Nicetas ex Caloioanne natum scribit. Princeps fuit ingeniosus, leuis, turbulentus, infidus, perfidiosus, infelix: sed eloquens, exercitatus in disciplinis, amans Sophistices & nouarum opinionum, in disputando acer & curiosus. Venetos bello lacessitos cum sustinere non posset, restitutione eorum quæ eripuerat, rursus placuit. CONRADVM Sueuum Imperatorem, cum ad fœdus & amicitiam inuitasset propter affinitatem pollicitationibus blandissimis: postea fiducia amicitiæ securius se transmisso Hellesponto Asiæ committentem, insigni præsidia penè grauius hostibus ipsis afflixit, ferro, fraude & veneno exercitum depopulatus. Magnam enim partem eius perdidit, submissis panibus, qui parati erant ex farina infecta commoliti gypsi tenuissimo puluere. Huius perfidiæ pœnas ROGERIVS Siciliæ Rex bello persecutus, Corcyra, Ætolia, Acarnania, Corintho, & Acrocorintho, partim vi, partim deditione captis atq; direptis, classem

classem regiæ vrbi admouit, & impetu in eam facto suburbia flammis iniectis exussit, ægrè sese cum Imperij titulo intra mœnia Imperatore conseruante. Pax demum inter vtrumq; Romano Pontifice conciliante facta est:

Cum Scythis etiam, Turcis, Persis & Hungaris ei res fuit, sed raro successu.

Curiositate naturæ & ingenij leuitate multa turbauit in doctrina Ecclesiæ. Cùm enim ingenio valeret & eloquentia: & delectaretur monstrosis opinionibus atq; ostentatione ingenij in disputationum conflictibus: nouis ac Sophisticis interpretationibus multa Ecclesiæ dogmata, quæ per se plana fuerunt atq; explicata, labefactauit & implicuit: præsertim de FILIO DEI nato ex Maria virgine: deq; his in consessu Episcoporum motis controuersijs disseruit, ac declarationibus veteribus repudiatis, vt illos, quibus cum conflictari libuit, exerceret, affinxit noua νεὴ σοφὰ φάσμακα iam olim condemnatis erroribus, audacia tanta, vt Mahometicas blasphemias etiam præstigijs speciosis lenire mollireq; ueritus non sit, & hæc aliaq; his similia excusarit, verum esse Deum, τὸν ὁλοσφυρὸν τὸν μὴ γεγλυπτωμένον ἢ γλυπτὸν ἄντα θεὸν: Quod etsi ingenij ludus esse debuit: indignum tamen Christiano fuit Principe, & malitiosæ leuitatis argumentum. Fuit enim Ethnicis etiam ἐχθρὰ σοφία, λοιδ. ξῦσαι θεὸν, siue ioco id fiat, siue serio.

Agitata tunc est & quæstio de oblatione, quæ fit in Missa, pro viuis & mortuis, profecta sine dubio ex Scholis Latinorum, & in Græciam à Monachis introducta. Disputatum est de verbis Canonis Græci, qui verecundius loquitur, quàm Latinus Cãon τὸν σσαρκωθέντα θεὸν προσφέρειν τε ὁμοῦ καὶ προσφέρεσθαι, *quòd in Missa Filius Dei offerat sese Patri, & offeratur manu sacerdotis, sicut obtulit sese in cruce pro peccatis generis humani: Cui figmento quotquot contradixerunt, sacro ordine moti, & extorres acti sunt. Nam eò vsq; iam persuasio falsa de Idolatrico cultu, & Missa theatrica, & huius pro viuis & mortuis applicatione processerat, vt non audirentur euidentia doctrinæ sacræ testimonia, quæ & vnica oblatione Filij Dei consummata esse omnia teste* PAVLO *ad Hebræos, & beneficiorum omnium Filij Dei applicationem vnicuiq; fieri fide propria conuincunt, & hæc blasphema commenta redarguunt: sed vt pluris fieret consuetudo, qua Cœna Domini magna ex parte ad mortuos translata, & horribili Idolomania contaminata est.*

MANVEL *Imperio, cui præfuit annos triginta octo, sponte relicto, incluſit sese in Monasterium, in quo non ita multò post iam sexagenarius obijt. Imperij finem hoc versu ei prædictum tradunt:*

ἀλλ' ὗσάτη σε κεφαλὴν λάθε λόγῳ.

Postremæ enim literæ nominis Μανουὴλ *Græcis triginta octo significant. Vxores habuit duas: vnam de qua*

de qua suprà dixi Germanã, sororem coniugis CONRADI *Imperatoris: Alteram Constantiam, filiam* RAIMVNDI *Antiocheni Principis, ex qua reliquit successorem.*

ALEXIVS COMNENVS.

ALEXIVM *filium Pater regno decedens puerum prorsus, Andronici patruelis tutelæ commendauit. Hic Andronicus statim, vt in Imperium ingressus est, amouit æmulos omnes, quos impedituros suspicabatur, ne, quod animo conceperat de Imperij raptu, perficeret: moxq; omni metu liberatus Alexium quoq; pupillum, Imperij hæredem cum vix annum attigisset decimum quintum, neruo arcu eliso immaniter strangulatum, inclusumq; arcæ plumbeæ demersit in mare, acclamantibus cædis socijs velut* ἐπιτάφιον ἆσμα, *Homericum illud:*

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.

ANDRONICVS COMNENVS

ANDRONICVS *iugulato Alexio rerum potitus, desponsatam illi Annam Regis Francorũ filiam in vxorem duxit: Vir fraudulenta calliditate, & lupina sæuitia nulli secundus. Nam & suos, & Alexij patruelis consanguineos amicosq;, quoscunq; arripuit, vel crudelibus supplicijs tortos enecauit, vel oculis priuauit. In Nicenos & Prusaenses, qui Theo-*

doro Cantacuzeno, & Isaacio Angelo adhæserant, cum sese post Cantacuzeni viri impigri & strenui interitū dedidisset, nullū crudelitatis genus prætermisit. Cū Thessalonicensibus egit paulo mitius, deprecante Episcopo Eustathio, viro doctissimo, cuius extant in Homerum Commentarij. Isaacium Angelum recepit in gratiam. Bello petitus à Vuilhelmo Siciliæ Rege, vindicaturo iniustam cædem impuberis Alexij, & prælio victus, cum ob immanem sæuitiam publico flagraret odio, Angelo, quem ad supplicium corripi mandarat, seditionem concitante, dum fugam parat comprehensus est, mutilatusq; altera manu & oculo, & scabro Camelo facie ad posticam versus per vrbem circumductus, vulgiq; tumultu vncis & harpagonibus penè frustillatim concerptus, pœnas dedit parricidij, raptæ tyrannidis, & iniustæ sæuitiæ, cum biennio rebus præfuisset. Odium quo laborauit pater, & crudelitatis ab illo vsurpatæ pœnas, expiarunt & filij Iohannes & Manuel oculis capti, nulla sua culpa, sed propter patris tyrannidem.

Ita propter scelera parentum grassantur pœnæ publicæ in totas familias, non vno tempore, sed multis interdum seculis, sicut de iusticia diuina concionatur vox Decalogi: Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem: Et congruunt ad hanc veteres versus de talibus pœnis.

Ἀλλ' ἀυτῶς κεφαλῆσι καὶ ἐν σφετέροισι τέκεσσι
ἔιλῆται, καὶ πῆμα δόμοις, ἔπι πήμασι δαίνει.

Plenæ

Plenæ sunt historiæ exemplis calamitosarum familiarum, vbi parentum scelera pœnas posteris attraxerunt, quæ in plurimos vagatæ sunt, & totas absumserunt stirpes, aut perpetuis exilijs dissiparunt: quale est exemplum Oedipi Thebani, & similium.

ISAACIVS ANGELVS.

ISAACIVM Byzantini collocarunt ad gubernacula, destinatis ab Andronico Tyranno supplicijs ereptum. Hic simulatione iusticiæ & moderationis, cùm esset natura timidissimus, & idcircò truculentus ac sæuus, initio res afflictas Byzantinorum rursus erexit aliquantulum, & exilijs desolatam vrbem ab Andronico, exulibus restitutis instaurauit. Bellum mouit in Siculos, qui Thessalia occupata, & expugnata Amphipoli, vrbi ipsi & Imperio imminebant, accitis in societatem belli Alanis: in quo bello classe Sicula ad Thessalonicam dissipata, exercitus partem mari fuga excluſam, fame necauit, captis Ducibus RICHARDO & BALDVINO Comite, Sed postea cum VVILHELMO Rege Siculo vltionem meditante pacem fecit.

In Vualachos, quos & Blachos nominant Græci scriptores: in hos ergo, nouis defectionibus Imperium detrectantes, aliquoties infeliciter mouit: Insignibus enim cladibus repulsus est. Primum autem, quantum ego memini, nominantur Valachi in hac historia: quorum nomen quo tempore & quibus occasionibus

intonuerit, aut quando gens ipsa in ea, intra Tyram & Istrum, regione consederit, certò non scio. Inhabitat enim veterem Daciam, quam postea tenuerant Gotti. Ea diuidebatur antiquitùs à Sarmatiæ parte, vbi hodie sunt Russia & Podolia, flumine Tyra, quem incolæ Nestrum appellant: Ab occidente Sole attingebat Iazygas Metanastas, quorum regionem Transyluani possident: Ad Orientem distinguebatur ab inferiore Mœsia, quæ Bulgaria est, Hierasso, quem Prutum nominant, & Istro fluuijs: Ad meridiem à superiore Mœsia, quæ nunc Bosna est & Seruia, disiungebatur eodem Istro.

De origine ergo gentis mihi videtur non esse absimile vero, quòd Imperatores Orientis post summotos inde partim, partim excisos Gottos, agros illos veteri more distribuerint veteranis militibus, & vt stipendia his exoluerent, & vt per eos à finibus Imperij ex ea parte arcerent tumultuantes Sarmatas. Inter illos plurimos fuisse Romanos, lingua argumento est, quæ ex Latina est deprauata. Ab his Romanis profectum esse Vualachorum nomen, vicinis in Transsyluania Gottis autoribus, qui Italos Germanica consuetudine Vuallios nominârunt, consentaneum est. Nam quòd à Flacco quodam eorum Præfecto nomen tractum esse nonnulli fingunt, fabulosum prorsus est.

Latuerunt autem Vualachi, quàm diu quieti Constantinopolitanis Imperatoribus paruerunt; & vicissim

sim inclaruerunt, cum admixtione Sarmatarum aucti, & ab ijsdem incitati recusare Imperium cœperunt. Eosdem Sarmatis ductoribus Lituaniam, indeq; Liuoniam & vicinam Borussiam, nouis colonis mixtim compleuisse, testantur veteris linguæ vestigia, quæ latinitatem referunt.

Posteriori tempore Vualachorum, vna gens in duas est partes diuulsa, dominatu distincto: suntq; qui ad Orientem & Septentrionem habitant, Podoliæ finitimi, Vualachi antiquo nomine: cæteri ad Meridiem & Transsyluaniam, Muldani nouo nomine appellati: etsi aliqui nomina permutantes, Vualachos hos, Muldauos illos vocare malunt.

In ALEXIVM Comnenum Cypri Tyrannum nauiganti, classem tempestas disiecit, & ad scopulos allisam confregit. Hunc Alexium anno proximè sequente Richardus Angliæ Rex expugnata Insula cepit & abduxit, de quo suprà dictum est. Fridericum Barbarossam ad Hellespontum aditu Asiæ et traiectu prohibiturus, aliquot aduersis castigatus à bello desiit, initaq; cum eo amicitia & obsidibus confirmata, progredientem commeatu iuuit.

Domi occultis aliquorum conspirationibus, & apertis etiam seditionibus quorundam Imperio insidiantium irritatus, metu insidiarum & inopia ad crudelitatem se conuertit & rapacitatem: quibus cũ odia suorum conflasset, à fratre, quem à Turcis captum multo auro redemerat, Imperio & oculis priua-

tus, atq; in sordidum carcerem detrusus, de illa spe decidit, qua ex falso oraculi promisso Imperium in annos triginta duos sibi desponderat: cùm imperasset annos nouem, menses octo. Postea è carcere per filium extractus, cùm insueti aëris nouitatem & asperitatem ferre non posset, morbo contracto interijt.

ALEXIVS ANGELVS.

NOn diu fraude & parricidio raptum Imperium tenuit ALEXIVS, cùm natura meticulosus esset & ignauus, totumq; se in voluptates effudisset, neglectis vicinis Vualachis & Scythis. Nam Isaacij filius Alexius, cui mortem machinatus erat, concitatis in exilio Francis & Venetis, quorum in vicinia tunc erant vires validissimæ, & horum ope, vrbe ferro flammaq; expugnata, fugatoq; patruo, imperium recuperauit occasione tali. Moturi in Asiam aduersus Turcos & Saracenos Bonifacius Marchio Montisferrati, Balduinus Flandriæ, & HENRICVS S. Pauli Comites, & cum his Allobrogum Dux, conuenerunt Venetijs: cumq; interueniente mora belli sumtus exhausissent, petiuerunt à Senatu Veneto pecuniam mutuo, quæ data est eis cum promisso maioris pecuniæ certis conditionibus, si Rempub: occupatam bello Istriano & oppugnatione Iaderæ vrbis, iuuare vellent: Quas illi conditiones cùm accepissent, obsidio Iaderæ tentata, sed opinione omnium longius protracta est. Circumsidentibus vrbem superuenit ALEXIVS Isaacij filius, qui patrui sceleratas manus affugerat, & multa quæstus de huius crudelitate, cæcitatem patris, sordes & squalorem carceris, suum exilium: multa etiam, si reduceretur, pollicitus, auxilia impetrauit. Classis ergo ex Dalmatia ad Bosphorum Thracium adducta: sinus qui Peram à Byzantio quinquaginta stadiorum interuallo dirimit, rupta, quæ obtensa fuit, catena ferrea, occupatus: vrbs deditione capta, & Alexio iuniori reddita est, ijs quibus inter eos conuenerat conditionibus. Alter ALEXIVS Debeltum profugit, auectis secum thesauris Imperij: cùm imperasset annos octo, menses tres, dies decem: & irrito conatu Imperium deinceps repetiuit.

ALEXIVS IVNIOR.

SEd nec ALEXII Iunioris diuturnum fuit Imperium, quem inuisum suis reddidit seu timiditas, seu ignauia, seu potius suspicio de collusione cũ Francis et Venetis: quos censuerat non lacessendos bello, sed auro placandos esse: Byzantijs vociferantibus, ignauia & perfidia Imperatoris fieri, quòd per Græcorum prouincias, inq; ipso vrbis conspectu impunè grassarentur, nomine vindicante. Quare illo per seditionem repulso, datus est successor NICOLAVS Canabus, aliquanto minus ad Imperium idoneus Alexio. Hac occasione Alexius Ducas, cognomento Murzuphilus, ob coniuncta ac velut oculis imminẽtia

super-

supercilia, homo subdolus & sceleratus, Alexium amicitiæ specie ad se fraude traductum, tanquam eum contra iniurias defensurus esset, insanienti plebi vinciendum obiecit: alterum Nicolaum pastorum subnixum studijs per suos satellites, præsidio diffugiente, cepit: atq; ita amoto vtroq; Imperium inuasit. Alexio bis potu veneni frustra tentato, laqueo guttur sua manu elisit, mense Imperij sexto, die octauo. Ipse cum exercitu Balduinum Flandriæ Comitem adortus, qui cum exercitu non procul aberat: sed repulsus, ac Venetis Duce Dandalo persequentibus, intra vrbem compulsus & obsidione cinctus, cum de vrbis defensione desperaret, clàm sese ex vrbe subduxit, fuga vitam conseruaturus. Obsidio terra mariq; in diem octauum et sexagesimum continuata est, cui finem imposuit insana intra vrbem de Imperio contentio, inter Theodorum Ducam & Luscarem. His enim inter se digladiantibus vrbs capta, direpta incensaq;, maiore sui parte conflagrauit. Tyrannus Murzuphilus deinceps in Peloponneso comprehensus perductusq; Constantinopolim, & post exculptos oculos de turri præcipitatus, promiscua plebe in cadauer desæuiente, frustillatim est concisus.

Vrbe recepta conuenit inter proceres, vt quindecim viri crearentur, quibus eligendi Imperatoris potestas foret: atq; illud expressum est, vt si Veneti nominis Imperator declaratus non esset, quem ipsi vellent è sua gente Patriarcham vrbi darent. Ita Flandrensis & Sancti Pauli Comites quinos: Monferratensis & Alloborgum Duces totidem designauerunt: Reliquos adiecerunt Veneti. Horum suffragijs ad Balduinum Flandriæ Comitem Imperium delatum est. Eidem dimidium vrbis, prouinciarum, vectigalium, rerumq; omnium, quas ex fœdere communi bello acquisiuerant, attributum est. Pacato ciuitatis statu castra in Thraciam promota: quæq; intra Byzantium & Adrianopolin comprehenduntur, in deditionem accepta sunt. BALDVINVS vt socijs, quæ ex fœdere decreta erant exoluerentur, Bonifacium Marchionem, Thessaliæ Regem de clarauit: Venetis Cretam Insulam, quam dono ALEXII Angeli BONIFACIVS consecutus erat, attribuit, BONIFACIO cedente: quæ res primam æmulationi inter Venetos & Genuenses causam dedit.

Ita à Græcis ad Francos Imperium Orientis est translatum: in quo, vt supra dixi, præter exempla iudicij diuini aduersus Idolatriam, libidines, perfidiam, tyrannidem, parricidia, præterq; tragicos exitus tyrannorum, penè consideratu dignum nihil est: Sed illustria proponuntur testimonia prouidentiæ, bonitatis ac misericordiæ diuinæ: quòd cum voluerit Deus aliquid esse reliquum propter Ecclesiam, tulit clementer illa contaminatissima & flagitiosissima portenta generis humani, ac pœnas publicas mitigauit & prorogauit: & ne ante præfinitam diuinitùs metam interiret Imperium, excitauit interdum aliquos mediocres

diocres Principes, qui prudentia & virtute velut lacinias corrosæ ac diffluentis tunicæ, rursus aliquantulum consuerunt ac sarciuerunt.

IMPERATORES OCCIDENTIS EX VETERVM Gibellinorum stirpe in Sueuia.

NIl magis inimicum esse atq; infestum, nec perniciosum magis Ecclesiæ & Reipub: superba tyrannide Sacerdotum, cum discedentes à verbo Dei & suæ vocationis metis, transformant ministerium Euangelij in monarchiã politicam, & falso ministerij prætextu abusuq; rapiunt exercentq; potestatem in quoscunq; suo libitu: didicit Orbis Christianus hisce annis quingentis post Henricorum bella, quibus vicit & regnauit tyrannis Pontificum. Sed grauiorem hanc tyrannidem Monarchæ senserunt, quam cæteri, quo maior illorum potentia fuit & Pontificibus formidabilior, si vires reciperet. Hanc quibus artibus oppugnare semel inclinatam perrexerint, exempla Sueuorum ostendunt, quibus Imperium capessẽtibus Germania fracta fessaq; bellis ciuilibus atque exarmata, vix ægrè consistebat. Non desiterunt tamen Pontifices impellere eam, turbareq; nouis seditionibus: quas cum domi singulari prudentia, moderatione, dexteritate ac felicitate sedarent noui Imperatores, quorum fuit affectio erga miseram & miserè perditam patriam verè paterna, sanarentq; antiqua vulnera, & firmarent ac solidarent pacem: furor Pontificum Italiam commouere, incitare et attrahere exteros Reges, diris & execrationibus alienare ab Imperatoribus studia Orbis Christiani, & hos externis ac domesticis bellis implicare cœpit, ne vnquam Orbi Christiano quies contingeret & tranquillitas. Hi scilicet nouæ tyrannidis, nouæq; religionis fuerunt fructus. Nam quæ solam antea Germaniam exercuerant bella ciuilia, inde in vniuersa Orbis Christiani exundarunt regna, Pontificum consilijs & artibus ceu disseminata.

Elevata est & in contemtum adducta apud vicinos Reges autoritas Imperatorum: & incitati sunt hi, vt illis cum rabie Pontificum conflictantibus, paulatim sese ab obedientiæ & veterum pactorum legibus subducerent, & ab Imperio auellerent, cui certis conditionibus ita paruerant hactenus, vt annua tributa subiectionis testificandæ causa pendere sint coacti. Hæc tributa Imperatoribus detracta, & controuersias omnes inter vicinos Reges, Pontifices ad se tanquam supremum orbis Christiani iudicem transtulerunt: quod non solum opum, sed multò magis autoritatis causa Romanis profuit, & Regibus libertatis nomine fuit gratissimum. Imperare enim Regibus Monarchæ, & consensum atq; coniunctas vires Orbis Christiani augescenti potentiæ Pontificum opponere amplius non potuerunt.

Sed

Sed & Regibus ipsis noui compedes, & noua sunt vincula commentitiæ superstitionis terriculamẽtis & Episcoporum Monachorumq; satellitio circumdata, quibus, si metu Imperatorum soluti discedere ab obedientia Romanæ sedis vellent, reduci intra carceres & coherceri possent. Deniq; cogitatum tentatumquè id omne est, quòd Imperatores frangeret, Pontifices augeret.

Tandem & commissi sunt cum Imperatoribus Reges inter sese, ita vt nullus penè fuerit in orbe Christiano angulus, qui non ex religiosa tyrannide Pontificum suo sit cruore respersus. Deniq; impediti sunt honestissimi conatus optimorum Principum, aduersus Turcos & Saracenos, potentissimos ac sæuissimos Christiani nominis hostes: quos si tunc, vt feliciter cœperant, procul à finibus Christianorum in Asia compressissent, non insultantes nobis successu victoriarũ, & grassantes cædibus in viscera nostra, seruicibusq; nostris tristissimæ seruitutis iugum intentantes in ipsa Germania, spectassemus.

Sed sola Pontificum perfidia elisit conatus optimos, qui Imperatores ex medio & prosperrimo bellorum cursu perniciosissimis seditionibus retraxerunt: vnde creuit animus hostibus & potentia, magno perpetuoq; cum dedecore, & cum detrimento multò maiore Christiani Orbis.

Sed cur cesserunt, inquies, Pontificibus Monarchæ? Cur non immoderatam tyrannidem maturè, priusquam vires acquireret ac roboraretur, contuderunt? cur iniustam & impiam seruitutem Ecclesiæ & Reipub. imponi sunt passi? Cesserunt victi non metu, non imbecillitate animorum, non magnitudine periculorum: etsi ruinam patriæ, tot ciuium lanienas, tot præstantum heroum interitus spectare graue fuit: sed honesta de Religione opinione, quæ ex confirmatis erroribus illorum temporum in animis fascinatis superstitione penè obstinata dominabatur: cuius omni tempore apud benè institutos magna vis fuit, vndecunq; oriatur, & quibuscunq; nitatur fundamentis, modo specie religiosa sese venditet, oculosq; & animos aliquo numinis diuini sensu imbuat: quæ etiam Ethnicorum animos pupugit & flexit. Religionis ergo opinio expugnauit optimos Principes, quòd aliter illis persuasum non esset, quàm vt ostendebatur & iactabatur, piè rectèq; fieri, & ex sententia diuinæ voluntatis in doctrina sacra expressæ quæcunq; à Pontificibus proponerentur & susciperentur. Hoc titulo enim fiebant omnia, cui non cedere piaculum esse ducebatur.

Hæc persuasio postea magis auxit Pontificum audaciam & impudentiam, & ad ea molienda statuendaq; impulit, quæ ruinam Ecclesiæ & Imperio attulerunt: quòd superstitione falsa & impia vinctis vulgi animis, Principes iniurias Pontificum dissimulare cogerentur: inter priuatos reperirentur pauci, qui aut hiscere contrà auderent, aut impietatem decretorum

rum Pontificiorum cum sui capitis periculo vellent perstringere.

Cùm autem suprà dixerim in hac tertia periodo post Christum, erectam & stabilitam esse tyrannidem Pontificum, fatali quadam religionum & Imperij mutatione: Ideo in tota sequente historia obseruanda sunt hæc duo præcipuè: Primùm, quando illi & quas nouas leges tulerint, aut quæ procuderint dogmata noua: quibus occasionibus veteres vel idolatrias, vel errores cumularint, & disciplinam in superstitionem conuerterint, ritibus veteribus laudatissimis abusu deprauatis: quomodo turbarint Imperium & regna orbis Christiani, vt suam tyrannidem et opes Romanæ sedis amplificarent, quæ excitarint bella ciuilia: Item quæ Imperatorum & Regum cæterorum in hac seruitute fuerit conditio: quæ regnorum & Imperij forma & gubernatio extiterit sub hac noua tyrannide: quæ acciderint regnorum mutationes: quarum peregrinarum gentium ex nostris dissidijs in nostram perniciem creuerit potentia.

Deinde consideretur, quæ fuerit his temporibus Ecclesia, quos habuerit Doctores: quid interfit inter doctrinam veræ Ecclesiæ & recentia commenta Monachorum & Scholasticorum. Multi imaginantur ex opinione cõfirmata diuturnitate inueteratæ tyrãnidis Pontificum, Ecclesiam nihil esse aliud, nisi multitudinem vni Romano Pontifici subiectam: & distinctam à cæteris gentibus per ceremonias, quas instituerunt

tuerunt Pontifices, alligatam ad successionem ordinariam Episcoporum, & ad interpretationem scripturæ, quam Pontifices aut Synodi tradunt. Contra hanc imaginationem sciant pij non fuisse Ecclesiam Pontifices, Episcopos & cæteros qui horum probarunt opiniones: qui sunt & fuerunt hostes veræ Ecclesiæ, partim Epicurei, partim Idolatræ manifesti: & deprauarunt dogmata ac Sacramenta impio & idolatrico abusu, eaq; contulerunt ad turpem quæstum: Sed hos tantùm, qui in hoc cœtu sanctificati Spiritu sancto verè crediderunt in Deum per Filium Dei iuxta Euangelij doctrinam, etsi alij plus, alij minus lucis habuerũt. Nec dubium est præter multitudinem, quæ dominata est in Ecclesia Romana & erranit: sicut errabant Pontifices & Sacerdotes Hieremiæ aut Christi tempore: fuisse innumeros, qui etsi habuerunt aliquid imbellicitatis vel errorum, et fuerunt seruitute Pontificia oppressi: tamen rectè inuocarunt Deum in agnitione & fiducia veri Mediatoris Iesu Christi, & Sacramentorum pio vsu sese erexerunt atq; consolati sunt: sicut ad HELIAM DEVS inquit, quòd seruarit sibi septem millia, qui non curuarint genua coram Baal.

Nec moueantur pij autoritate multitudinis contra verbum Dei: sed redeant ad Regulam, Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Prima sit autoritas verbi diuinitùs traditi. Deinde illa est Ecclesia existimanda, quæ cum verbo illo cõsentit: sicut in

quid Christus, Oues meæ vocem meam audiunt: Et AVGVSTINVS: Quæstio est, Vbi sit Ecclesia. Quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quæsituri sumus, an in verbis capitis sui, Domini nostri Iesu Christi? Puto quòd in illius verbis quærere debemus, qui veritas est, & optimè nouit corpus suum.

Nec titulo etiam Ecclesiæ moueantur, quem Pontifices tanquam Gorgonis caput obijciunt. In infinitum enim discernenda est à membris veræ Ecclesiæ ingens multitudo impiorum, qui ferè in illo cœtu, qui est Ecclesia, antecedunt cæteros autoritate, specie religionis, opinione doctrinæ: quales fuerunt in populo Iuda tempore Hieremiæ Pontifices & Sacerdotes impij, qui & ipsi allegabant contra Hieremiam autoritatem sedis & legis, & promissiones: Non peribit Lex à Sacerdotibus: Negabant suum cœtum errare posse, cum tamen prorsus errarent & dissentirent ab Hieremia. Sæpe autem accidit in Ecclesia, vt impij excellentes ingenijs, vel autoritate, sumant impetus constituendi religionem humana sapientia: qui cum non moueantur verbo Dei, sed ducantur opinione rationis, & quærant concinnas interpretationes, gignunt impia dogmata: Sicut Samosatenus, Arius, Pelagius. Alij quærunt merita & speciosum regimẽ & εὐταξίαν populi, & his causis mouentur ad instituendos & cumulandos cultus: vt fecerunt Pontifices & Monachi, qui discesserunt à verbo Dei, instituerunt cultus sine mandato Dei, mutarunt vera dogmata,

dogmata, & contaminarunt, imò obruerunt puritatem doctrinæ. In talibus ergo non moueantur pij titulo Ecclesiæ: Nam cum impia multitudo dominatur in Ecclesia, constituit nomine Ecclesiæ multa impia & falsa, & à norma atq; analogia fidei alieniſsima: sed sequantur regulam traditam diuinitus, Frustra me colunt mandatis hominum.

Colligant pij & exempla illorum, qui errores & abusus Pontificios reprehenderunt & refutarunt, sicut Prophetæ fecerunt in populo Dei: quales fuerunt TAVLERVS, VVESSELVS Groningensis, IOHANNES Huſs, HIERONYMVS Pragensis, Hiltenius Isenacensis & alij,. Sed meminerunt semper, quòd quanquam præter multitudinẽ impiam, sint in Ecclesia aliqui pij, qui retinent articulos fidei: tamen hi quoq; moti exemplis, assentiuntur quibusdam erroribus: quo fit, vt articulos fidei minus puros retineant: Sicut videtur Berhardus commodius sensisse quam cæteri, etsi multis erroribus assensit, vt abusui Missarum, potestati Pontificiæ, votis, cultui Sanctorum. Etsi enim vera Ecclesia, quæ exigua est, retinet fundamentum fidei: tamen illa ipsa vera Ecclesia potest habere errata, obscurantia articulos fidei: & multi ita labuntur, vt approbent prorsus impios errores contra fundamentum, etsi forsis aliqui resipiscunt.

Intueantur autem pij Ecclesiam omnium temporum, cum has confusiones Ecclesiæ Romanæ considerarint,

varint. Etsi enim necesse est veram Ecclesiam semper durare: quia regnum Christi est perpetuum: Et scriptum est, Manebo vobiscum vsq; ad consummationem seculi: tamen hæc vera Ecclesia non semper pari frequentia & celebritate floret: sed sæpe admodum exigua est, ac subinde restituitur diuinitùs, missis veris Doctoribus, sicut temporibus Noe, Abrahæ, Esaiæ, Hieremiæ, Christi, angusta admodum fuit Ecclesia, & paucorum cœtus: & Christo nascente regimen Ecclesiasticum erat penes Pharisæos & Saducæos, qui erant palàm impij: Saducæi verò etiam Epicurei erant, & tamen arrogabant sibi præcipuè titulum populi Dei.

Sic Esaias suis Pontificibus & Principibus derogat augustum Ecclesiæ titulum, cum inquit: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma & Gomorrha facti essemus. Prædicunt similia sacræ literæ de cladibus post Apostolos in Ecclesiam peruasuris: Vt Matth. 24. Multi Pseudoprophetæ surgent & decipient multos: Item: Cùm videbitis abominationem desolationis, stantem in loco sancto.

Ita & testimonijs Prophetarum atq; Apostolorum & Ecclesiæ exemplis admoniti, non cogitemus de Ecclesia tanquam de mundana politia: nec eam successione Episcoporum, aut gradu & loco Pontificum, aut opibus luxut, et splendore Romanæ aulæ, aut Romanæ Ecclesiæ Monarchia, quæ post Henricum Quartũ constituta est, metiamur: sed apud eos esse statuamus,

tuamus, qui retinent fundamentum, id est, scripta Prophetica & Apostolica rectè intellecta, etsi sunt dispersi, despecti, egentes, oppressi, obnoxij calamitatibus infinitis. In hoc cœtu esse aliquos verè credentes necesse est: nam ad hunc cœtum pertinent promissiones.

Talem cœtum sub Pontificum tyrannide fuisse etiam firmiter statuamus multis in locis orbis Christiani: qualis fuit tempore CHRISTI, SIMEONIS, ZACHARIÆ, IOSEPH, Mariæ, & aliorum: etsi non floruit opibus, potentia, autoritate, sicut Pontifices & Episcopi, qui fuerunt in ordinaria successione. Cùm autem hæc tractatio aliò pertineat, hoc loco satis sit monuisse, conferenda esse huius tertij seculi noua dogmata, ex superstitionum fundamento detexta, ad veterem doctrinam traditam in scriptis Propheticis & Apostolicis, & alijs quæ cum his congruunt.

Exigantur & leges Pontificiæ, quæ post labefactatam, imò abolitam veteris Ecclesiæ disciplinam, cùm à bellorum motibus nonnihil conquieuisset Orbis terrarum, paulatim introductæ, & coaceruatæ moribus seculi & Pontificum impudentia, nouam & intolerabilem tyrannidem in Ecclesiam, & conscientiarum crudelem carnificinam, abusu superstitioso disciplinæ inuexerunt: Hæ ergo exigantur ad veteres Canones, quibus præcipiuntur vtilia & pietati accommodata exercitia sine superstitione. Sed sem-

per in conſpectu ſit diſcrimen inter dogmata & ceremonias diuinitus traditas, & inter ritus humanos. Dogmata et Sacramenta voluit prima Eccleſia firma eſſe & perpetua, vtpote accepta ab Apoſtolis, qui non errabant in doctrina: Ritus humanos non voluit eſſe perpetuos aut inmutabiles: Neq; eſt alligata Eccleſia ad rituum humanorum ſimilitudinem & conformitatem. De his cum ab alijs ſit alibi copioſe tractatum, in hac commemoratione illa breuitatis cauſa omittam. Nunc ad res Imperatorum accedo.

CONRADVS TERTIVS
Franciæ & Sueuiæ Dux.

LOTHARIO mortuo Imperium certò ſibi deſponderat HENRICVS Superbus gener, confiſus ſtudijs & fauore Saxonum propter ſocerum LOTHARIVM, & magnitudine potentiæ: Saxoniam enim Bauariæ connubio copulârat: Ea opinione inſignia Imperij, quæ à ſocero acceperat, apud ſe vi retinuerat, & oſtenderat ſe non paſſurum, vt his præter ipſum alius ornaretur. Quòd ergo & faſtum atq; inſolentiam eius odiſſent cæteri, & formidarent potentiam, & iudicarent ſuperbiam potentia inſtructam non eſſe publica autoritate armandam: comitijs quæ indicta erant electionis cauſa Moguntiæ, Confluentiam translatis, ibi crearunt Imperatorem Conradum Friderici Sueuiæ Ducis filium, ſorore HENRICI

RICI Quinti natum, eum qui cum LOTHARIO de Imperio antea decertârat.

Hæc res nouum peperit bellum. HENRICVS enim dolore repulſæ ſubitò coactis in Bauaria copijs, Imperatorem circumſedit ad Auguſtam: vbi cum fruſtra tentatæ eſſent pacificationes, Imperator non ſatis ad dimicandum paratus, decurrit ad conſilium proſcriptionis. Cùm ergo euaſiſſet Vuirceburgum, de ſententia procerum publicata proſcriptionis formula, citò copias Henrici diſſipauit, deſerentibus eum ſocijs: Saxoniam verò Alberto Vrſo Marchioni Brandenburgenſi, Bauariam LEOPOLDO Auſtriaco vterino fratri tradidit.

Ita inuerſa diſtractus HENRICVS, cum vtrobiq; periclitaretur, ne vtroq; ducatu excideret, confirmante ſeſe Imperatore, in Saxoniam profugit: inde ALBERTVM, qui ſorore matris ſuæ, filiæ Magni Ducis, genitus erat, & iam magnam Saxoniæ partem ſuam fecerat, reiecturus. Eo pulſo cum amiſſa recepiſſet, mœſticia retinctus eſt, anno milleſimo, centeſimo, triceſimo nono relicto filio HENRICO Leone.

A morte eius bellum in Bauaria atrocius inſtauraut, & vrſit pertinacius Vuelphus frater, oppugnato LEOPOLDO, auxilijs Vngaricis & Siculis. Vtriq; enim Regi: præſertim Siculo ROGERIO, qui poſt Reginaldi mortem, quem Apuliæ Lotharius impoſuerat, ROBERTO Capuano ſucceſſore illius

illius pulso, Apuliam repetebat: proderat CONRADVM bellis domesticis distineri.

Longum hoc fuit & cruentum bellum, varioq; gestum est euentu ab utroq;: quod tandem Vuelpho ad Flochburgum profligato Fridericus Imperatoris patruelis, Vuelphi sorore natus, qui post eum imperauit, his conditionibus composuit: vt tota inferior Saxonia cederet Henrici Superbi filio cognomento LEONI: ALBERVVS Vrsus contentus possessione Marchiæ Brandenburgensis & superiore Saxonia, abstineret ab inferiore: Bauariam retineret HENRICVS Austriacus LEOPOLDI frater, ducta vidua HENRICI Superbi Gertrude: Vuelphus certæ partis dominus esset: Quibus conditionibus cum non staret Henricus Leo, postquam adoleuisset: sed iniuriã sibi fieri quereretur, & peteret se nulla sua culpa paterno Ducatu exutum restitui in integrum, FRIDERICVS Imperator rem deduxit eò, vt Henricus parte Bauariæ, quæ veteris Austriæ limites attingebat, contentus, & Ducis insignitus titulo ac dignitate, Bauariam reliquam nouis & angustioribus limitibus ab Austria diremtam relinqueret LEONI. Ita Austriacis amplioris ditionis & nouæ dignitatis accessione auctis, rediit Bauaria ad Leonem: quam tamen non ita multò pòst rursus amisit.

In hoc bello præter cætera illud maximè est memorabile, quod ad oppidum Vueinsberg accidit. Cùm enim

enim per annos aliquot, vario fortunæ euentu in Sueuia Bauariaq; belligeratum esset, & ancipiti sæpe Marte pugnatum: accidit vt bellum consisteret ad oppidum Vueinsberg, cui amœna vineta nomen dederunt: in quem locum vires suas VVELPHVS contulerat, vallo ac mœnibus, si acie vinceretur, sese tutaturus. Fusus ergo fugatusq;, & intra vrbem compulsus, ac post multas difficiles oppugnationes tandẽ armis & fame expugnatus: coactus est & sese & suos victori quibuscunq; conditionibus dedere. Ibi Imperator præcepit, vt Vuelphus, cæteriq; equestris ordinis viri, vincti in custodiam traderentur: oppidum à militibus diriperetur: ciues vitam ac libertatem retinerent. Tunc mulieres, quæ fuerunt in vrbe, antequam portæ aperirentur, petiuerunt, vt sibi saluis abire liceret, portantibus de suis rebus, quantum vnaquæq; posset: Quod cùm à clementi victore et Germano facilè impetrarent, capiunt mulieres consilium pium & memorabile. Nam cum hostes aurum eas, et gemmas mundumq; muliebrẽ, aut pecuniæ aliquid secum elaturas putarent: illæ omnibus his rebus militum prædæ relictis, maritos solos in humeros sublatos, & paruos liberos in sinu atq; amplexu tenentes, vrbe asportabant. Imperator ingeniosa Philostorgia mulierum mirificè delectatus, omnibus conuiuio exceptis clementer ignouit. Ita sæpe vtile vinci Victoris placidi fecit clementia multis.

Insigne hoc est & memorabile exemplum verè genero-

generosi & Germani animi, qui contentus laude victoriæ, alienissimus est à sæuitia in deuictos. Sunt qui Vuelphum euasisse ex prælio, & in obsidione non fuisse tradunt. Pace reconciliata VVELTHUS CONRADVM in Palæstinam consectatus est.

Receptus est in gratiam & Rogerius Siciliæ Rex, qui in Asiam proficiscentem CONRADVM fideliter omnibus rebus iuuit & instruxit.

Nutare iam & labi cœperant res Christianæ in Asia, præsidiario milite destitutæ: quas reliquiæ adhuc vtcunq; sustentabant Armeniorum auxilijs, qui religionis societate nostris coniuncti, Turcis agros Christianorum infestantibus à tergo assiduè inhærebant. Nec solos Turcos iam, sed & Saracenos Ægyptios nostri habebant hostes. His vt subueniretur maturè priusquam penitus concideret, Conradus Imperator & Ludouicus Franciæ Rex, impulsu Diui Bernhardi, maximos traiecerunt in Asiam exercitus rebus omnibus ornatos atq; instructos, anno Christi millesimo, centesimo, quadragesimo sexto. Hi ad Byzantium vbi conuenissent, atq; explorata prius Manuelis Comneni, qui Orienti præerat, voluntate, de tota inter se belli ratione consultassent: partitis agminibus hostes in diuersis sunt locis aggressi. Sed expeditionis sapienter deliberatæ & optima ratione institutæ, exitus fuit infelix, Manuelis Byzantini sceleratæ perfidia exercitu Conradi in Asia accisо attenuatoq; ferro, fame, veneno & fraude. Ita non vi causæ & consi-

consilia, sic bellorum euentus semper sunt in potestate nostra, sed reguntur ac præstantur diuinitus

Conradus Imperator quanquam & ob Græcorum perfidiam magnas accepisset clades, & irrita oppugnatione Iconij in Lycaonia defatigatus esset: tamen ad Mæandrum fluuium aperto Marte cum ingentibus Turcorum copijs congressus, tantam edidit eorum stragem, & cruor flumen tinxerit, & ripas longè lateq; cadauera cæsorum compleuerint. Ea victoria consternatis & procul fugatis hostibus, per itinera à latrocinijs & incursionibus hostilibus liberata, tutum ad vrbem Hierosolymam accessum aperuit: sed quòd exercitus laboribus itineris cæliq; iniuria partim consumtus defecisset, partim affectus langueret, nulla re memorabili effecta, post exactum annum quartum in Germaniam redire coactus est. Domi cùm nouos exercitus collegisset ad pacandam Italiam, domesticis dissidijs liberarum ciuitatum turbatam, quæ inter se armis de libertate & Imperio decernebant, morte præreptus expeditionem non absoluit.

Obijt Bambergæ decimo quinto Calend. Martij, cùm imperasset annos quindecim: Anno Christi millesimo, centesimo, quinquagesimo secundo: Anno à Mundo condito quinquies millesimo, centesimo, decimo quarto.

Intestina eius condita sunt Bambergæ prope Henricum

ricum Sanctum: Cadauer Laureacum delatum est, quod Eboracum aliqui nominant.

Vxorem habuit Gertrudim, filiam Comitis Sultzbachici: ex qua nati sunt ei filij duo, Henricus & FRIDERICVS. HENRICVM ante expeditionem Hierosolymitanam, penè puerum, consortem Imperij fecit. Hic ante reditum patris è vita emigrauit. FRIDERICVM morituras patrueli FRIDERICO Barbarossæ commendauit. Is cum militaret in Italia, peste periit vnà cum multis alijs in obsidione vrbis Romæ.

Sub id tempus HENRICVS Leo & ALBERTVS Vrsus Sclauorum familias, quod religionis Christianæ professione post OTTONEM Magnum repudiata, latrocinijs crudelibus vicinos Christianos infestare non desinerent, longis continuisq; bellis magna ex parte extirparunt. HENRICO cum Henetis, quos tunc rexit Nicolotus, & post eum filij Vuertislaus & Bribislaus Obotritorum Principes ad mare Balthicum: ALBERTO cum Sorabis ad Albim in Marchia Brandenburgensi & Saxonia superiore res fuit, vt suprà monui.

Vterq; in desolatas terras nouas duxit colonias: HENRICVS translatis in Henetorum regionem, vbi Ducatus est Megalburgensis et Pomeraniæ pars, Frisijs atq; Saxonibus: ALBERTVS ad Albim Salamq; in Soraborum & Lusatiorum loca, prope Mysos & Hercinios ad Albim & Hauelum, collocatis

tis Hollandis & Flādris, à quibus totus ad Vuitebergam tractus, seu Flandrorum, seu Pleumosiorū nomen sortitus est, quod huc vsq; conseruauit: Et de Colonis illis testantur appellationes oppidorum, quæ restant, vt sunt Cameracum, Neomagum, Brugæ, & aliæ plures oppidorum, quæ sunt circa Vuitebergam, quorum pleraq; habent nomina aut Sorabica vetera, aut Germanica recentia, quæ originem Colonorum nouorum & veterem patriam indicant.

Hoc ALBERTO Patre natos OTTONEM & Bernhardum virtus bellica, fides erga Imperatorem, merita in patriam, ad magnam euexerunt potentiam. OTTO Marchiam Brandenburgensem possedit, quam posteri bellis ampliarunt, finibus Pomeraniam versus extensis. Bernhardo cessit Saxonia superior ad Albim: Huic deinceps beneficio FRIDERICI Barbarossæ bonam partem inferioris Saxoniæ coniunxit, euectus ad dignitatem Ducis Saxoniæ HENRICO Leone deiecto. Est autem antiquissima stirps Comitum Ascaniæ, quæ sola ferè vetustissimum gentis suæ nomen, ortum à veteribus Ascanijs, qui ad Herciniam incoluerunt, conseruauit inter tot rerum vicissitudines, & familiarum mutationes tam crebras & varias. Nā aliæ vetustæ gētis Germanicæ appellationes, quas historiæ Romanæ celebrant, ferè omnes interierunt, obtritæ vetustate, aut cū familijs ipsis simul abolitæ. Prodierūt ex hac stirpe

Vrsi-

Vrsini nobiles Romani, ijs procreati parentibus, quibus Imperatores nostri Italiæ gubernationem commiserunt.

FRIDERICVS PRIMVS cognomento Barbarossa.

EA fuit de FRIDERICO Barbarossa opinio & CONRADI Imperatoris, & procerum reliquorum: vt Conradus moriturus suo cum suffragio Imperio destinarit, præterito filio, cuius tamen ætas iam fuit matura & προβόλευμα cæteri ample xi, vno omnes consensu citra controuersiam Imperium ad eundem detulerint. Hanc de se opinionem FRIDERICVS non tantum sustinuit maxima cum laude, sed omnibus summis virtutibus superauit, Cùm accepisset Imperium, vt fuit patriæ amantissimus, nihil prius habuit, quam vt domi pacem sine publico motu, & consilio potius quam armis constitueret. Pace enim & quiete opus esse intelligebat concussæ Germaniæ ad sananda & solidanda vulnera, quæ priora bella Henricorum inflixerant, recentia successorum refricârant. Nec odia cessatura esse prospiciebat, nisi controuersijs moderata quadam damnorum exæquatione diremtis, & sancita ἀμνησία perficeretur, vt Principum animi vera inter se mutuaq; beneuolentia coalescerent.

Contendebant inter se Bauariæ Principatu vitricus Henricus Austriacus, & priuignus Henricus Leo Saxo, hoc queritante iniustè sibi Bauariam ereptam esse. Hanc litem ne in bellum exiret ita diremit, vt Austriaco, apud quem plus valebat, persuaserit, de suo vt iure concedere potius, ac regredi quàm progredi vellet, pacis publicæ causa: Et vt iacturam hanc facilius ferret, transtulit familiam Austriacam in ordinem superiorem, decreto ei tributoq; titulo Ducis: & amplificauit fines ditionis, parte Bauariæ ad Austriam adiecta. Vuelphum vt quiesceret in posterum Thuscia & Spoletano agro Sardiniaq; Principatu donauit. Conradum ex alia matre fratrem, Palatinum Rheni constituit. In hac pacificatione nec prudentiam ei defuisse in conciliandis Principum animis, nec grauitatem, nec successum, qui confertur diuinitùs, declarauit euentus. Sustulit enim maximorum bellorum causas & occasiones, Germaniæq; tranquillitatem peperit.

Composuit & controuersias inter Suenonem Canutum & Vuoldemarum Reges Danicos Mersburgum euocatos, qui de regno inter se dimicarant aliquot annos, magno cum detrimento vicinarum terrarum, quæ erant Imperij. Sunt qui tradunt Danos occupata Lubeca exercitus toto illo littore habuisse firmissimos: Fridericum verò, quòd verseret animo expeditionẽ Italicam, ne implicaretur domi longo bello, & vt auerteret omnes motuum domesticorum occasiones, Lubeca recepta, cum Danis certis conditionibus transegisse in castris ad Lubecam, in eam sentẽti-

am, aut gentem fortißimam, quæ diuturnis & difficilibus bellis Imperatores exercuerat, societate atq; amicitia Germaniæ deuinxerit.

Rebus domi constitutis ingressus est Italiam, ut ibi quoq; motibus compositis, Romæ de more coronaretur. Exules enim Apuli, quos ROGERIVS Siculus expulerat, reduci cupiebant: & liberæ ciuitates in Longobardia, quibus seruitutem intentabant Mediolanenses cupiditate dominationis, se defendi petebant. In illo itinere Veronenses, qui eum superbè & contumaciter vrbe excluserant, quòd ante renunciationem à Pontifice factam obedientiam ei deberi negarent, exquisito exemplo ita castigauit, ut territæ cæteræ vrbes cupidissimè eum receperint: Mediolanenses non tàm armis, quàm autoritate compescuit.

Transcenso Appennino cùm Romam appulisset, & à Pontifice Adriano Quarto coronatus esset, quarto regni anno, quarto Calend. Iulij: seditiosæ multitudinis tumultu lacessitus, dimicauit cum ciuibus in ipsa vrbe, multis captis, pluribus in Tyberim demersis.

De hinc tota Italia peragrata redijt in Germaniam: vbi cum ARNOLDVS Moguntinus Episcopus, & Hermannus Palatinus priuatis inter se dissidijs totam ad Rhenum commouissent Germaniam: motibus sedatis, Moguntino propter ætatem & ordinem pepercit: alterum coëgit viuum canem posterioribus pedibus ad humeros religatum, vel vt alij tradunt,

tradunt, manibus ea parte prehensum, inspectaculis publicis circumferre: Tali enim censura notabantur, qui ex summis ordinibus petulanter pacem publicam turbassent: Vt olim in militia Persica, pœna leuitatis & inconstantiæ in desertore, redeunte ad partes priores, erat gestare nudam meretricem.

Coëgit armis & Poloniæ Regem ob non soluta aliquot annua tributa, mulcta bellum redimere, & exercitui, quem instruebat in Mediolanenses, præsidiarios equites adiungere. Sed non diu durauit hæc Imperatorum autoritas apud exteros Reges post Fridericum, Pontificum artibus profligata & conculcata. Statim enim eò res redierũt, ut vicinis Regibus despectui essent: à suis præsertim Italis, etiam oppugnarentur. Auxerunt contemtum perpetuæ excommunicationes Imperatorum & tyrannica edicta, quibus Reges & Principes ad excommunicatos bello persequẽdos, vrbes ad seditiosas defectiones impellebantur prætextu autoritatis diuinæ: vt quos à fide & obedientia erga Imperatores dimouere honesti ratio, vel emolumenti alicuius spes non poterat, hos terror falsæ religionis specie iniectus, ab ijsdem auelleret. Hæc postea abierunt in consuetudinem, & perpetuis bellis causam dederunt.

Imperatore ergo districto domesticis bellis, Mediolanenses confisi Pontificum instinctu & patrocinio, & priorem lenitatem Imperatoris metum atque

animi mollitiem interpretati: Imperium quod Longobardiæ certò sibi desponderent denuo proxima oppida, alia iniustè vexare, alia ad seruitutem adigere, pellectis in societatem potentissimis ciuitatibus, cœperant. Quare etsi grauiter fuit offensus Imperator: vehementius tamen incanduit ad superbam ADRIANI Pontificis orationem, qui per legatos denunciarat, sui juris esse Imperium tribuere cui liberet, etsi postea hæc retractauit. Multum exhibuit negotij optimo Imperatori Mediolanensium & Pontificum perfidiosa conspiratio, quæ septies cum cum exercitu in Italiam pertraxit.

Quòd ergo Mediolanenses Derthonam recens ab Imperatore dirutam instaurassent, & Papiam ac Nouariam diripuissent, & paulatim procederent, totaq; Italia in armis esset: initijs maturè occurrendum ratus, quanta potuit celeritate Alpibus superatis traduxit exercitum in Italiam. Mediolanum vi expugnatum solo æquaturus repressit indignationem cum sese ciues ad genua ipsius supplices proiecissent, gestantes signa reatus, suspensos de ceruicibus strictos gladios & affixas pectoribus cruces. Censuerant & militiæ Duces seruandam esse tam pulchram vrbem, & dignam esse maiestate & magnanimitate Imperatoris parcere promiscuæ multitudini, & animaduertere in autores.

Sed vix inde digresso in Burgundiam Imperatore, redierunt ad ingenium, seq; munierunt nouis fœderibus

deribus, ascitis in societatem non tantum liberis ciuitatibus, sed & VVILHELMO Siculo, & Cardinalium magno numero, qui promissa graui pecunia Pontificem instigarunt, vt Imperatorem excommunicaret: quo comperto cum præmisisset exercitum, ipse è vestigio secutus, citò hoc incendium restinxit, Mediolanensibus ad vrbem acie cæsis: sed vrbem non cepit.

ADRIANVM meditantem fulmen anathematis in FRIDERICVM, hausta aquæ, in qua musca submersa fuit, enecatum tradunt. Eo mortuo Romæ duo Pontifices creati sunt: quorum alter ALEXANDER Imperatorem anathemate est execratus, quòd alteri Victori faueret: & incendit vniuersam Italiam ac præcipuè Venetos aduersus Fridericum. Non leuiter perturbatus fama anathematis Fridericus, scripsit ad Collegium Cardinalium, vt res dijudicetur. Sed cognitionem prohibuit ALEXANDER, propterea quòd haberet in partibus suis præcipuum Italiæ robur & Gallos: Et ne quid periculi esset, recepit se in Galliam.

Mouit hæc contumelia animum Imperatoris, vt in bellum acrius incumberet: & quia Mediolanensium præcipuè fuerant in ea coniuratione partes, vrbem vi captam diripuit et funditus excisam sale conspersit, autoribus defectionis securi percussis. Inde reuersus in Germaniã Saxonicos motus composuit, sublata inter HENRICVM Leonem & ALBER-

tvm Vrsum contentione de Principatu Saxoniæ, quem ex Conradi promisso Albertvs suum asserebat. Sed destitit Albertvs in gratiam Imperatoris, qui post transactionem firmandæ pacis causa, Friderico Conradi filio despondit Leonis ex prima coniuge filiam: Leo vicissim Imperatori promisit auxilia contra Mediolanenses.

Interea belli autor Alexander, postquam percursa Gallia, Hispania, Anglia, reuersus esset in Italiam. Venetos denuò inflammauit, vt bellum renouarent: ad quos cũ accessissent præter alias ciuitates Mediolanenses exules, & vrbem reparassent, Imperator redire in Italiam cum exercitu coactus est. In hac expeditione turpiter proditus & desertus ab Henrico Leone, in tantum venit discrimen, vt ex equo sit deturbatus, & diu desideratus. Hanc perfidiam Henrici vt puniret, summa rerum in Italia Ducibus Ottoni Vuitelsbachio & Bernhardo Anhaltino commendata, clàm profectus in Germaniam, Bambergæ frequente principum Senatu accusatum eum & horum sententijs contemnatum proscripsit: & vicinis cum præcepisset, vt tota eum ditione, imò tota Germania pellerent, mox ad exercitum reuersus est, Genua expugnata Romam contendit, quam Alexandrum munire didicerat. Romani cognito eius aduentu, audacter, sed infeliciter occurrerunt ad Thusculum. Nam prælio commisso Imperator

tor trucidatis Romanorum ciuium duodecim millibus, vrbem primo impetu cepit, & Calixtvm Pontificem constituit. Alexander habitu nautico deceptis custodibus, Venetias euasit. Post eam victoriam exercitum pestis corripuit, quæ assumsit multos præstantes viros, atq; inter alios Fridericvm Conradi filium, & Vuelphũ iuniorem. Fugientem Pontificem prosecutus est Otto Imperatoris filius septuaginta quinq; longis nauibus: quo cum ad Salborum promontorium in Paranensi tractu, ad oram Istriæ, conflixit Venetæ classis ductor Cianus, & quadraginta octo nauibus captis, inter quas fuit prætoria, duabus media pugna in mare demersis, parta victoria, Ottonem interceptum Venetias adduxit. Vrbem cum triumpho ingresso Pontifex annulum aureum porrexit, quo se autore in mare proiecto id sibi desponderet ritu prorsus Ethnico, et instituit, vt successores quotannis idẽ stato die facerent: quod seruatum est deinceps huc vsq; die Ascensionis Dominicæ.

Quòd ergo nec pertinacem ambitionem Pontificum flecti aut infringi, nec immanem sæuitiam restingui aut expleri vllis cladibus publicis, vllone tot miserorum & innocentum hominum sanguine posse animaduerteret, persuasus ab amicis de communi pace agi passus est: Quod vt faceret, mouerũt eũ præcipuè causæ publicæ. Tanti enim tunc erant in Asia Saladin

Sultani Ægyptij successus, vt nisi Imperator afflictis opem ferret, viderentur breui non in Syria tantum, sed in tota Asia regnaturi esse Mahometicæ: Et Italia cædibus fessa pacem petebat. Credibile est etiam præter has publicas causas multum valuisse paternum dolorem. Nam cùm domestica eius vita plena fuerit humanitatis ac pietatis, haud dubiè etiam valde fuit φιλόστοργος, vt nunc quoq; in Germanis vehementiorem videmus esse liberorum amorem, quàm in cæterarum nationum hominibus. Mouit igitur FRIDERICVM extincto altero filio, rapto altero, patrius dolor, vt animum ad pacem constituendam adiceret, præsertim cum ipse semper à bello abhorruisset, & coactus scelere Pontificum sumsisset arma.

Itaq; tandem conuenit, vt FRIDERICVS Venetias veniret, & ibi ad pedes Pontificis procumbens, absolutionem peteret: Deinde constituta pace in Italia, duceret exercitum in Asiam. Has conditiones FRIDERICVS, etsi erat armis superior accepit tamen: cumq; se Venetijs ad Pontificis pedes abiecisset, Tyrannus, non contentus Imperatoris modestia, quòd factus esset supplex, insignes insuper contumelias addidit: Pedem collo Imperatoris imposuit, & acclamari iussit: Super aspidem & basiliscum ambulabis. O execrandam superbiam & tyrannidem. In hoc ipso tamen spectaculo generosus animus ostendit indignitate rei se moueri, palàm interpellato Pontifice

tifice, cum inquit: Non tibi, sed Petro. Significabat enim se factum esse supplicem non huic tyranno, sed Apostolicæ autoritati. Reclamauit Pontifex tyrannicè: Et mihi & Petro. Sic absolutionem tandem impetrauit. Demonstrat hoc exemplum, quanta sit pestis Rerumpub. ambitio Ecclesiasticorum.

Sed hoc miretur aliquis, potuisse FRIDERICVM iniurias tam atroces obliuisci & condonare Reipublicæ, & ita se demittere, vt supplex fieret in causa meliore, & insuper supplicem se affici tanta contumelia sinere. Vicit optimum Principem opinio religionis, qua tyrannidem suam Pontifices sceleratè & impiè extollebant et exaggerabant, cuius in omnium hominum animis magna vis est, præsertim si superstitio accedat, quæ tunc regnabat. Cessit autem vtilitati publicæ, vt constituta firma concordia in Europa, latrocinia Mahometica in Asia felicius reprimi possent.

Narrant inter cæteros militiæ Duces, qui Imperatori ad genua Pontificis prouoluto astiterunt, affuisse Theodorum Marchionem Misniæ, fratrem Ottonis illius, cuius seculo apperuerunt sese venæ metallicæ ad Fribergam Misniæ: qui cùm ad conspectum tyrannicæ insolentiæ ingenti generosaq; percitus ira, minaci gestu & flammantibus præ iracundia oculis occurrisset, Imperatorem prostratum erecturus: Tyrannum pauore consternatum in complexus & oscula im-

Imperatoris sese effudisse, nec prius auelli se passum esse, quàm de salute sibi certò caueretur. Transegit & cum VVILHELMO Siciliæ Rege, filio HENRICO despondit Constantiam ROGERII filiam. Longobardis certis pactionibus rursus Imperio subdidit, quæ diu seruatæ sunt. Acta hæc sunt Venetijs anno Christi millesimo, centesimo, septuagesimo septimo, nono Calend. Sextilis. Talibus exemplis immoderatam potentiam ac Tyrannidem Pontifices confirmare conati sunt: de quibus cum manifestum sit, eos contra religionem, contra leges diuinas, & contra communia iura omnium gentium egisse, vt de constitutionibus Imperatorum taceam, nunc nihil disputo.

Pacata hoc modo Italia, redijt in Germaniam FRIDERICVS, tùm vt necessaria ad bellum Asiaticum comparet: tùm vt ante migrationem ex Germania constitueret Rempublicam, & tolleret ac sopiret certamina, quæ commouerat proscriptio HENRICI Leonis, qui à vicinis Principibus Imperatoris edicto oppugnabatur ac diripiebatur. Nam Saxonici Ducatus ditionem ac dignitatem transtulerat in BERNHARDVM Anhaltinum: Bauarici in OTTONEM Vuittelsbachium, vt compensaret vtriq; nauatam in bellis Italicis fidelem operam, Leone in perfidiæ pœnam Saxonia Bauariaq; exclusò. Hoc beneficium vtriq; confirmauit coràm. LEO Imperatoris metu exulatum abierat in Angliam

gliam ad socerum: cuius intercessione res eò deducta est, vt HENRICVS quanquam partem ditionis amissæ recuperarit, ad dignitatem tamen priſtinam non redierit. Episcopus Colonienſis ex ea direptione ad se vi traxit Ducatum Angriuariorum in Vuestphalia, qui in transactione adiudicatus erat BERNHARDO. Ita LEO mulctatus maxima potentiæ & dignitatis suæ parte, clementis victoris beneficio ea, quæ nunc sunt Ducum Brunsuicensium & Luneburgensium, retinuit.

OTTO Vuitelsbachius cognomento maior, è veteri Palatinorum Schirnensium gente oriundus, de qua suprà diximus, condidit stirpem Ducum Bauariæ & Palatinorum ad Rhenum. Nam filius LVDOVICVS postea FRIDERICI Secundi concessione, Palatinatum Rheni Bauariæ adiecit. Ita rediit Bauaria longo postliminio ad veteres Dominos, vicissitudines perpessa multiplices.

BERNHARDVM Anhaltinum ALBERTO Vrso patre natum esse diximus: hoc editi sunt ALBERTVS & HENRICVS filij: quorum ille Duces Saxoniæ, qui Vuitebergam tenuerunt ante Misniæ Marchiones, progenuit, de quibus reliquum est stemma Ducum Launburgensium: Hic Principibus Anhaltinis ortum dedit, qui antiquam patriam Ascaniæ gentis ad Herciniæ iuga incolunt.

Tradunt etiam scriptores magno consensu, Ducem Boëmiæ primum apud hunc FRIDERI-

CVM

cvm regiam dignitatem, rebus præclarè ad Mediolanum gestis promeruisse: quod de renunciatione & confirmatione publico ac solenni ritu facto intelligo. Et consentaneum est, voluisse FRIDERICVM illorum Principum, quos recentibus beneficijs sibi suisq; deuinxerat, augere dignitatem ac potentiam, qua muniti essent contra tyrannicas & seditiosas Pontificum machinationes, ne possent illi, vt cœperant quando vellent, aut rescindere decreta, aut turbare deliberationes institutas de electione, aut quos vellent reijcere. Certè ex hac Imperij constitutione & ordinum descriptione ac distinctione, primò prodijsse ac cœpisse Senatum septem Electorum, vero valde est consonum, quocunq; sit autore institutus. Nam post hunc FRIDERICVM celebrantur in historijs suffragia Regis Boëmici, Ducis Saxoniæ, Palatini ad Rhenum, Marchionis Brandenburgensis. Ante FRIDERICVM regia dignitate Boëmus caruit: Nomen Palatini ad Rhenum fuit obscurum: Marchiones Brandenburgenses in autoritate aut nulla fuerunt, aut exigua: Solus Saxoniæ Dux excelluit, & tunc quidem maximè, cum Principatus à LOTHARIO ad Vuelphos deuolutus est. At horum Principum consilio & autoritate postea à Sueuicis temporibus, quantum humanitus fieri potuit, præcipuè effectum esse ac præstitum, vt minus quàm antea de Imperio certaminum extiterit, minus etiam Pontificibus concessum sit atque tributum, historiæ docent.

cent. Nec FRIDERICVM, qui plurima sapienter & vtiliter ordinauit, nihil de Pontificum rabie, quam expertus ipse erat, frenanda ac restingenda: nihil de possessione Imperij, cui Pontifices non dissimulanter inhiabant, Germanis confirmanda, cogitasse: etsi nihil ea de re extat, nisi quod de Imperatoris potestate legitur in Pace Constantiæ: verisimile non est. Sed cum habebam, quod certò affirmem, præcido hanc disputationem, & ad FRIDERICVM redeo. Hic postquam ea, quæ ad pacem se absente retinendam in Germania & Italia necessaria erant, prouidit atq; instituit, legibus etiam optimis latis, quæ titulo Pacis Constantiæ celebrantur: copias, quas contraxit non magnas numero, sed veterano milite præstantissimas, magna celeritate Byzantium duxit, vt inde traijceret in Asiam. Hanc expeditionem non ambitione aliqua, aut superstitione suscepit: sed intellexit sui officij esse tam crudele latrocinium hostium tam immanium vbicunque posset à Christianis depellere, & turpe esse existimauit deserere & prodere hostibus pugnantes pro salute publica Christianos, quæq; maiorum sanguine parta essent, per ignauiam sinere perire. Saladinus enim Ægypti Sultanus recepta Hierosolyma, & ferè tota Syria in deditionem accepta, iam Armeniam inuaserat, & multos Christianorum exercitus incredibili successu diuersis in locis conciderat, videbaturq;, nisi reprimeretur, tota Asia potiturus. Idcirco iustum & pium bellum

bellum ingenti animo mouit: & perfecit, vt Rex Angliæ RICHARDVS eosdem hostes mari adoriretur: Franciæ Rex Philippus suppediaret pecunias. Sunt qui & hunc mari accessisse narrant.

Nec defuit Deus honestis consilijs. FRIDERICVS enim suis copijs in mediam Asiam ingressus, primò Turcas ad Iconium Lycaoniæ tribus magnis prælijs vicit fuditq. Hi successus tam subitam pepererunt inclinationem rerum in Asia, tantumq. incusserunt Saladino terrorem, vt rebus desperatis munitarum vrbium deijceret propugnacula, & demoliretur arces, deq. Asia relinquenda consilium caperet. FRIDERICVS enim victricibus armis progressus mox Ciliciam ei eripuit, Saracenicis exercitibus deletis: Alibi ad littus Rex Angliæ multas ei vrbes ademit. Ita cum in ipso victoriarum cursu Saladinus repressus esset, Asia seruitutis metu liberata est.

Potuissent tunc penitùs extingui, aut certè ex Syria & Ægypto expelli Saraceni & Turci, si FRIDERICVS diutius superstes fuisset. Sed fata vrgebant Asiam, & tantum Imperatorem Europæ invidebant. Cum igitur recuperata Cilicia Saladini exercitus ex Armenia minore reiecisset, forte defatigatus labore atq. æstu, descendit in flumen lauandi studio, quod Serram incolæ vocarunt: Ibi alij ferunt eũ abreptum vorticibus in flumine periisse: alij ferunt redeunti

redeunti ex aqua epar malè affectum fuisse, vt fit: quod eò minus mirum est, quòd in Cilicia Alexandrum Magnum lauantem in Cydno flumine frigidissimo, lethali morbo correptum esse, literis proditum est. Dicitur itaq. FRIDERICVS epatis morbo intra paucos dies in Seleucia Syriæ extinctus esse, quarto Idus Iunij.

Anno Christi millesimo centesimo octogesimo nono: Anno Mundi quinquies millesimo, centesimo quinquagesimo primo, imperij tricesimo septemo.

Hic fuit interitus optimi Principis, in quo magnitudo animi atq. consilij, fides, constantia, moderatio, pietas adeò excelluerunt, vt nulla ei virtus, magno viro & optimo Principe digna, defuisse videatur. Est igitur Exemplum boni Principis, & domi militiæq., & tota vita priuata, quæ castissima fuit, publicaq., in qua luxerunt omnium virtutum effigies. Idem exemplum est humanæ fragilitatis, quod admoneat nos de humanis miserijs. Tantus vir tantis rebus gestis, in ipso cursu victoriæ indignissima morte periit: sicut alij multi heroici ac fortissimi Principes, leuibus momentis oppressi, miserè interierunt, quorum exitus indigni tanta virtute fuerunt, vt Achilles, Aiax, Pyrrhus, Alexander, Samson. Sed felicitati illius tribuatur, quòd & domi profligatis bellis, diuturnæ pacis & optimi status autor fuerit, & non extinctus sit antea, quàm Saladinus fractus, & Asia periculo liberata esset.

Fuisse

Fuisse in eo præcipuum studium religionis ostendunt plurima monumenta. Multa enim Collegia Regularium, vt vocant, instruit, in illis colerentur studia doctrinæ Christianæ, quæ videbat negligi in Collegijs & Monasterijs opulentioribus, propter opes & luxum. In Aldenburgensi Collegio adhuc conspicitur statua eius & filij HENRICI. *Curam legum & disciplinæ in eo summam fuisse testantur leges eius, & quædam exempla. Celebratur versibus à Guntero Ligure Poëta, qui ei in obsidione Mediolanensi affuit, vt Scipioni seniori Ennius, Iuniori ad Carthaginem Polybius. Extat & præclarum eius Encomium apud scriptorem Græcum Nicetam Coniaten, qui illo tempore vixit.*

Fuisse eum φιλοκίνδυνον *testantur exempla plurima. In secunda ad Mediolanum expeditione Itali habebant exercitum in vlteriore ripa Abduæ, Germani in citeriore: Cumq; Itali arbitrarentur se tutos esse propter flumen, ferociter prouocant Germanos: In ipsum etiam Imperatorem conuicia dicunt superbissimè. Etsi flumen intumuerat, vt toto transiri vado non posset: tamen* FRIDERICVS *impatiens contumeliæ, impulso ad traijciendum exercitu, primus se flumini committit, & subito impetu inuectus in Italos, qui, quòd se profundi & vorticosi fluminis obiectu tutos esse crederent, nec castra munierant nec aciem instruxerant, ita imparatos obruit, disiecit ac cecidit.*

Cada-

Cadauer patris filius Fridericus honorificè sepeliuit in Tyro, quæ arx belli Christianorum fuit post amissam Hierosolymam. Hic belli mole in se translata post obitum patris Antiochiam præsidio firmauit: inde in Cœlesyriam profectus, Laodiceam seditione laborantem & ad Saracenos inclinantem pacauit: Berytum recepit, et plurimas alias Syriæ vrbes, quæ ab inclinata & penè iacente fortuna Christianorum, ad efflorescentem Saracenorum desciuerant: Sed cum exercitum ad Ptolemaidem oppugnandam adduxisset, peste extinctus est: Exercitus Duce orbatus magna ex parte fame perijt.

Vxores habuit duas: primam Adelam filiam Theobaldi Marchionis Bauarici in Voburg, quam dimisit ob propinquitatem, de sententia Collegij constantiensis: Alteram Beatricem filiam Reginaldi Comitis Vesontionis in Burgundia. Ex hac nati ei filij quinq;: HENRICVS *in Imperio successor:* FRIDERICVS *de quo iam dixi:* OTTO *Comes Burgundiæ, hæres maternæ dotis:* CONRADVS *Sueuiæ Dux:* PHILIPPVS *Thusciæ & Sueuiæ Dux, qui post* HENRICVM *fratrem imperauit. Ex eadem nata est ei & filia Sophia, quam Ludgardin alij vocant, alij Iuttam, coniunx Marchionis Saxoniæ. Sed cum Marchionum Saxoniæ nomen multò antè interierit, intelligo Marchionem Misniæ* CONRADVM, *cuius vxor Sueua fuit, & in Misorum Chronicis nominatur Luidgardis.*

LIBER QVARTVS

HENRICVS SEXTVS IMPERATOR

FRIDERICVS ante discessum ex Europa, ne vel se absente Europa sine rectore esset, vel mortuo se disputatio de successore nouas contentiones pareret, consensu procerum Imperio præfecit filium HENRICVM primogenitum, anno Christi millesimo, centesimo, octogesimo sexto: & despondit ei Constantiam filiam ROGERII Siculi, è monasterio eductam, quæ ad eũ Siciliæ regnum attulit, vt sæpe admonui: Constantia etsi putaretur nunquam partitura esse, quòd quinquagesimum annum attitigisset tamen grauida facta, & anno Christi millesimo, centesimo nonagesimo tertio, septimo Calend: Ianuarij Panormi enixa est filium FRIDERICVM Secundum, in sacello publico, quod, vt spectari partus posset, extrui Henricus curarat, ne existimaretur esse suppositicius.

Imperium adijt anno Christi millesimo, centesimo, nonagesimo, quod impedituri Colonienſis & Leodienſis Episcopi, seditionem mouerunt adiuti Burgundicis, auxilijs quam cito compressit HENRICVS, Leodiense interfecto.

Deinde Italiam ingressus coronatusq; à Cœlestino Pontifice, Apulos Siculosq; defectionem molientes multis prælijs compescuit, & in autores exquisitis supplicijs animaduerterit, quibusdam excoriatis, alijs excæcatis

excæcatis & in palos actis, nonnullis qui regnum affectarant ignita corona redimitis. Propter hanc suppliciorum atrocitatem, asper est cognominatus. Italiæ, ne excusso iugo facilè rebellaret, Præsides nouos imposuit: Marchiæ Anconitanæ Marquardum Dapiferum: Apuliæ Theobaldum quendam: Hedituriæ fratrem PHILIPPVM, cui in vxorem dedit Irenen ALEXII Imperatoris Græci sororem, quæ promissa fuerat Tancredo notho filio ROGERII.

Quòd autem Saladino mortuo magnas de recuperatione Asiæ spes concepisset, hortatu Pontificis instituit expeditionem patris exemplo in Asiam, delectis ad eam rem socijs, quos cum instructissimo exercitu præmisit, CONRADO Egiscopo Moguntino, CONRADO Vuirceburgico, quo Cancellario vsus est, HENRICO LEONE, LVTOLDO Austriaco, HERMANNO Turingiæ Landgrauio, & alijs quibusdam. Hi peragrata Europa atq; Asia, ad Ptolemaidem delati, Berytum dirutam ac desertam à Turcis reædificarunt, Saracenis Ioppen ademerunt, & cætera oppida Christianorum firmiore præsidio instruxerunt: fuissentq; perfecturi, nisi præmatura mors HENRICI inchoatum opus interrupisset: qua comperta dilapsi redierunt in Europam. HENRICVS enim ex Germania in Siciliam reuersus, dum classem cogit, & armat secuturos socios, Messanæ in febrem ardentem ex

tem ex veneni potu incidit, quod propter adulteria coniugem propinasse ferunt: Ea extincta, & Panormi sepulcro porphyretico in templo maximo conditus est, cum imperasset annos septem: Anno Christi millesimo centesimo nonagesimo octauo: Anno Mundi quinquies millesimo, centesimo, sexagesimo.

Reliquit filium FRIDERICVM impuberem quinquennem, cuius curam Philippo fratri commendauit, cum à Principibus Germaniæ ante mortem obtinuisset, vt filio Imperium promitterent & literis confirmarent. Peperit ei Constantia & filiam Mariam, quæ CONRADO Boemiæ Duci & Marchioni Morauiæ nupsit. Multùm dissimilis fuit patri ingenio & moribus, magis suis addictus voluptatibus quàm Reipublicæ: priuatim in libidinem procliuior, & publicè in vindicandis iniurijs asperior.

Hisce annis Liuonia cœpit cognoscere & amplecti fidem Christianam ex doctrina & prædicatione Menardi Monachi Segeburgij. Condidit is primùm Ecclesiam extructa munitione contra Barbaros in ripa Rubonis, quam Dunam hodie vocant, permissu Vuoldemari Regis Poloscouiensis, cui tunc Liuonienses tributarij erant. Deinde quòd gentem feram ac barbaram cerneret citius promtiusq; accessuram ad religionem, si armis domita, & legibus ac disciplina mansuefacta, doceri exerceriq; posset: autor fuit in Germania & hortator nouo ordini sacrorum militum

litum, qui recens ad Ptolomaidũ cœperat, vt se ducem sequerentur in Liuoniam, ascito in societatem laborum ac periculorum alio quodam Theodoro. Hi duo partem Liuoniæ, quam Esthoniam vocant, subegerunt. Successores exemplum imitati, comparata maiore manu sacrorum militum, totam perdomuerunt. Tertius à Menardo ALBERTVS, è Collegio Bremensi Sacerdos, vrbis Rigensis fundamenta iecit, & colonias ex vicinia Bremæ eò deduxit: cumq; Ecclesias constitutas in certos Episcopatus esset partitus, sibi Archiepiscopi potestatem retinuit: & equitibus sacris tertiam terræ partem concessit in præmium militiæ: qua illi non contenti paulatim ita acciderunt potentiam Archiepiscopi, vt ad extremum longè illo superiores euaserint.

Porrò Liuonia terra est ampla ad sinum Venedicum sita: Longitudo eius à finibus Borussiæ versus Ortum Solstitialem Rigam vsq;, & inde ad Borealem terminum, est miliarium fermè centum: Latitudo, vbi maxima, circiter quadraginta, exceptis Insulis ad eam pertinentibus. Syluosa est, & pascuis, fruméto, melle, feris, pecudibus, piscibus & alijs rebus ad victum necessarijs abundat. Incolarum plura esse & diuersa genera dissimilitudo linguarũ indicat: quorum aliquos de veteribus colonis reliquos esse consentaneum est: aliquos recens ex vicina Germania & Sarmatia immigrasse certum est. Præter Germanicam enim & Henetam linguam tres aliæ obseruantur, &

ab his diuersæ & inter se discrepantes: quarum ea, quam Esthonicam vocant, vocabulis quibusdam, sed valde depravatis Latinum idioma refert: vt vero non sit ab simile, quod aliqui annotarunt, à Vualachis, qui Latinorum coloni sunt, argumento nominis & linguæ Lituanos: ab his Liuonicos ad Revaliam ortos esse: sicut & nomen Revalienſium ad Vallios seu Vualachos alludit. Sed recentes Revaliæ incolæ à Danis eò sunt translati, quos contra Sarmatas Henetos què perpetua in illo littore maris Venedici bella gessisse, historiæ testantur & monumenta quæ supersunt. Revaliam enim incolæ adhuc hodie Danopil sua lingua vocant: Et Gedanum, cui eruditorum coniectura Cadoni appellatio vicina est, arcem Danis oppositam, Henetorum lingua significat. Primum ordinis Magistrum Vinnonem nominant, qui multas contra Barbaros arces construxit, circa annum Christi milleſimum, ducenteſimum, triceſimum quintum. De his plura suo loco.

PHILIPPVS IMPERATOR.

RESpirarat aliquantulum Germania, moderatione & sapientia FRIDERICI domesticis malis explicata & in tranquillum locata: Resederat & Pontificum rabies, non tàm cruore saturata interemtorum, quàm effusa atque exhausta in Imperatorem, genibus Pontificis adolutum & ab eodem procul

proculcatum, cum subiectionem iniurijs extorsisset: Sed mox ab HENRICI morte pari sese vehementia rursus incitauit in successores, & Germaniam nouis motibus implicauit. Quamprimum enim de morte HENRICI fama percrebuisset, PHILIPPVS, vt exequeretur fratris testamentum, celerrimè ex Hetruria sese in Germaniam proripuit, Imperijsq; proceres promissi, quod filio HENRICI fecerant, admonuit. Postulauit autem, vt cùm ætas pueri procul abesset ab ea maturitate, quæ in gubernatore requiritur, vel relinqueretur ipsi administratio tutorio nomine, sicut instituisset Pater testamento, exemplo Henrici Tertij: vel si id videretur incommodum aut periculosum, traderetur ipsi interea Imperium: eo se cessurum Friderico, vbi adoleuisset, spondebat, vt satis fieret voluntati parentis & promisso Principum, Europa verò certo Rectore ne careret. Deliberata hæc & tractata sunt Haganoæ, consilia gubernante Episcopo Argentinense.

Multos Philippus in suam pellexit & traduxit sententiam Germaniæ Principes: & suffragia, aut omnium, aut plurimorum, citra vllos motus collecturus fuisset, nisi deliberationes turbasset & interrupisset Innocentius Pontifex: qui re cognita mox per legatos rescidit promissa Henrico facta, & vetuit Principibus, ne Philippo Imperium traderent.

Oderat Pontifex totam FRIDERICI posteritatem, & quibus poterat artibus premebat, scilicet,

vt certaret sæuitia cum anteceſſoribus, & nihilo illis fuiſſe mitior videretur erga FRIDERICI poſteros. Sed oderat præ cæteris PHILIPPVM, quòd velut metis ipſi circundatis in Italia, reſtrinxerat immoderatam eius potentiam, et vſurpata gubernatoris autoritate molitiones iniuſtas ac tyrannicas repreſſerat. Ideo cum repetiuiſſet obſides Apulos HENRICO deditos, & PHILIPPVS reddere initiò recuſaſſet, protinus in eum fulmen Anathematis emiſerat: à quo cum poſt dimiſſos obſides abſolutus eſſet per Epiſcopum Sutrienſem, Pontifex hunc Eccleſiaſticæ cenſuræ ignominia notatum, albo Epiſcoporum expunxit.

Prægrauârat autem PHILIPPVM apud Imperij ordines falſis criminationibus iniquè & calumniosè, ſeq; Pontificiam potius dignitatem, vel cum clade & ruina Italiæ, in diſcrimen poſiturum, quàm huic Imperium conceſſurum, ſuperbè fuerat interminatus.

Moti tyrannica Pontificis voce Principes aliqui, quòd proſpicerent, quò euaſura res eſſet, ſi tyrannico illius poſtulato aduerſarentur, ſententias à PHILIPPO inflexerunt ad BERTHOLDVM Zaringiæ Ducem Principem prædiuitem, ſed ſordidè auarum & flagitioſum. Contra hunc adhærebant PHILIPPO, Saxoniæ Dux Bernhardus, ALBERTVS Marchio Miſniæ, Boëmiæ Rex, & LVDOVICVS Bauarus, qui ad eum communi conſenſu comitijs

comitijs Mulhuſij celebratis Imperium detulerant. Quòd ergo Bertholdus ſe imparem fore PHILIPPO, ſi ad arma deuentum eſſet, intelligeret, repudiato Imperio, Philippo data fide ſeſe ſubiecit.

Pontifex cum ſe deluſum eſſe percepiſſet, impulit Colonienſem & Palatinum, vt transferrent Imperium in Ottonem Henrici Leonis filium: atq; vt hoc faciliùs perficerent, Ottoni coronam promiſit, & Philippum Anathemate percuſſit, vt ab eo abſtraheret cæteros. Moti Anathemate Boëmus, Turingus & Argentinenſis, qui primò Philippi partes fouerant, diſceſſerunt ab eo ad Ottonem. Inde noua bella exarſerunt, quæ in eum finem exierunt, vt Imperium Philippus obtinuerit, alter ſit à ſuis etiam deſertus. Adeò nullius vnquam vel Imperatoris, vel Regis in orbe Chriſtiano, fuit diuturna felicitas, qui vel impulſu aut fiducia, aut ope atq; auxilio Pontificum mouerunt aliquid, vel cum his ſeſe confœderarunt: quòd in alieni muneris officia irruerunt Pontifices, & legitimos Imperatores ſceleratè oppugnarunt intruſis alienis & nothis vi & fraude, obliti ſuæ vocationis, & abuſi prætextu nominis atq; autoritatis diuinæ. Teſtantur id lõgo ordine repetita ex hiſtorijs exempla: & ante oculos ſunt recentia exempla confœderationum Pontificiarum cum Hiſpanis, Gallis, Mediolanenſibus.

Quòd ergo Pontifex OTTONEM, Principem audacem & temerarium, depoſceret contra Philippum,

lippum, & eidem suffragaretur coniunctio Regis Anglici Richardi: à Colonienſe Aquisgranum deductus & coronatus est. Philippus nihil territus aduersatione Pontificis & defectione sociorum, conuertit arma in Argentinensem, qui proximus erat: eoq; duriter castigato, & Argentina capta, mox obuiam processit OTTONI, qui cum exercitu ad Spiram vsq; accesserat. Hunc conserto ad Mosellam prælio repulit: fugientem consectatus, HERMANNVM Landgrauium Turingiæ & Odoacri Boëmi auxilijs ferocientem, magna terræ parte vastata, ita contudit, vt supplex veniam peteret.

Inde mouit in Colonienſem, occupatisq; partim spontanea deditione, partim persuasione, Rheni oppidis, Coloniam tandem fame ad deditionem compulit.

Rebus desperatis Episcopus ADOLPHVS, cùm gratiam PHILIPPI emeruisset, vicißim ei Imperij insignia Aquisgrani communicauit. Qua re incensus Pontifex Colonienſi ordine moto successorem decreuit BRVNONEM, & OTTONEM impulit, vt ADOLPHO electo alterum Episcopatui imponeret. Id conante OTTONE, Philippo prohibente, denuò ad Coloniam dimicatum est: sed castris exutus & profligatus OTTO confugit in Angliam.

Redierat ex Palæstina recens CONRADVS Moguntinus: huic, quòd Philippo studeret, ademit Episcopatum Pontifex, itemq; successori Ludolpho tertio demum Sigefrido, quòd hostiliter se gereret erga Philippum, admisso ac recepto: Rescripti formula extat lib. 1. Decret. C. Bonæ memoriæ. Moguntinensi Archiepiscopo de electione & electi potestate.

Ad hunc nimirum finem, tot seditionibus quæsita, & tam multo sanguine parta fuit potestas creandorum Episcoporum. Hi fuerunt fructus hypocriticæ sanctimoniæ Pontificum, scilicet seditiones, periuria, parricidia, iniustæ cædes & grassationes, euersiones legum atq; constitutionum humani diuiniq; iuris perturbationes, ordinis omnis confusiones, & similia.

Quòd ergo seditionibus fessi Principes, qui Ottonem defenderant, desinerent PHILIPPVM exagitare, iniit ipse tale consilium ad Pontificem placandum: Promisit nuptias filiæ nepoti Pontificis ex fratre Richardo, Thusciæ & Marchiæ Anconitanæ Comiti: quibus nuptijs cum speraret Pontifex Thusciam, Spoletum & Marchiam Anconitanam, venturas in potestatem nepotis, cupidissimè oblatas conditiones amplexus, missis duobus Cardinalibus Philippum solenniter expiatum diris exemit, & OTTONI placauit, conciliata inter eos per alterius filiæ nuptias amicitia. Hoc dolo cum Pontificis ambitio esset exatiata, cessauit & rabies eius: qua sedata, Germania à seditionum fluctibus rursus conquieuit.

Rebus

Rebus ita compositis Imperator Bambergam curandi corporis causa secessit. Ibi cum die quodam phlebotomia medicationis causa vsus, semotis cæteris cum vno Henrico Druchsesio Vualpurgensi hilarioribus colloquijs se inuitarct: OTTO Vuittelsbachius cognomento minor, frater illius, qui à Friderico Bauariam consecutus erat, in conclaue dolo dissimulato ingressus, occasione captata ex improuiso pugionem, quem sub veste occuluerat, in iugulum Imperatoris adegit, ex quo vulnere mortuus est: Parricida, auxilio Ecberti Episcopi Bambergensis, & fratris eius Henrici Antechsiani Histriæ Marchionis filiorũ Bertholdi Ducis Meraniæ, elapsus, tandem ab Henrico Calatino Marescallo trucidatus est.

Causa cædis hæc fuit. Imperator OTTONI spem fecerat de nuptijs filiæ Cunegundæ: hanc postea mutata voluntate dedit in vxorẽ Vuenceslao Ottocari Boömici Regis filio: quòd OTTO propter iniustam cædem in magnam incurrisset infamiam, & Imperator duceret indignum filiæ nuptijs eum, qui iniusta cæde pollutus & humano sanguine conspersus esset. Dissimulauit dolorem OTTO, donec vlciscendæ contumeliæ occasiones opportunas, consilio & ope Episcopi Bambergensis, arripuit. Ita Philippus insidijs obtruncatus interijt, decimo Calend. Iulij.

Anno Christi millesimo, ducentesimo, octauo: Anno

Anno Mundi quinquies millesimo, centesimo septuagesimo, cum imperasset annos decem, & iam pacata Germania Imperium domi exornaturus legibus ac iustitia, foris amplificaturus bellis externis fuisset, si vita suppeditasset. Fuit enim natura bonus sapiens, moderatus, acer & magnanimus Princeps, non indignus tanto Patre: quod ostendit in Italiæ gubernatione, quam in metu & officio continuit: & in ciuilibus bellis, quorum asperitatem bonitate & lenitate sua moderatus est ac mitigauit: & accessit ad naturæ dotes rerum multiplex vsus, atq; exercitatio longa in militaribus negocijs & politicis. Sed quid foris conarentur optimi Principes, quos domi tot inuoluit seditionibus furor Pontificum, vt in eas cogerentur vitam fortunasq; suas, & Imperij neruos vires q; impendere, nisi vna cum Imperio euerti vellent? Nec quod de occultis causis Pontificiæ tyrannidis pronunciem habeo aliud, nisi permissu diuino in pœnam Europæ perniciemq; publicam hanc in Ecclesiam & Imperium pestem peruasisse.

Vxorem habuit, vt dixi, Irenen Alexij Constantinopolitani sororem: ex qua natæ sunt ei filiæ quatuor. Harum Cunegunden Vuenceslao Boömo Ottocari filio: alteram Ethissam Duci Brabantiæ, & deinceps Regi Hispaniarum: tertiam filio Richardi Comitis Thusciæ: quartam Beatricem Ottoni Saxonum Principi, qui post Philippum imperauit, elocauit.

uit. Coniunx Irene dolore contabuit. Cadauer Philippi, quod Bambergæ sepultum erat iuxta Henricum Sanctum, Fridericus Secundus inde Spiram transtulit, sepulcro notato hac inscriptione: Philippus Bambergensis.

OTTO QVARTVS IMPERATOR HENRICI Leonis filius.

POst cædem PHILIPPI rediit Imperium ad OTTONEM: qui tamen non diu id possedit, deiectus scilicet Pontificis sententia, per quem fuerat euectus. Italiam magno cum exercitu ingressus, munerum magnificentia magis, quàm armorum terrore, aditum sibi ad vrbem Romam patefecit, auro Italorum voluntatibus expugnatis. Morsus tamen & machinationes perfidiæ & tyrannidis Pontificum euitare is atq; effugere nequiuit. Romæ enim cum initiò Innocentium Tertium & facilem expertus esset in impetranda coronatione & officiosum, mox eundem post coronationem habuit infensissimum: quod odium eò vsq; processit, vt Pontifex tandem perculsum anathemate priuari Imperio præceperit. Is mox à coronatione tumultu subito in vrbe excitato, Imperatorem in præsens vitæ periculum coniecit: quo multa ciuium cæde depulso, Imperator diffisus Pontificum molitionibus, se ex vrbe in Longobardiam recepit, ibiq;

ibiq; contractis copijs vniuersis protinus Romandiolam, Thusciam & Marchiam Anconitanam occupauit. Deinceps promouit castra in Apuliam, vt quæ Fridericus Henrici Sexti filius tenebat alienata ab Imperio artibus Pontificum, repeteret & redderet Imperio.

Id agentem Pontifex anathematis ictu profligauit. Nam vt Romandiola Romanæ sedi eriperetur, ferre non poterat: Et metuebat Apuliæ, quam post Constantiæ interitum repetebat ex veteribus pactis. Anathematis formulam Sigfridus Mogũtinus in Germania publicauit, & Principes, vt Imperium excommunicato abrogarent, impulit: cui cùm aduersarentur Henricus Palatinus ad Rhenum, & Dux Brabantinus, cum alijs quibusdam, nouum bellum conflatum est, in quo pulsus Moguntinus confugit ad Hermannum Turingiæ Landgrauium.

His motibus OTTO ex Italia retractus conuentum egit Principum Noribergæ: vbi cum multa questus de infinita & scelerata tyrannide Pontificum & de Principum vecordia, qui iniustis illorum cupiditatibus cedendo atq; obsequendo labefactarent autoritatem Imperatorum, quosdam in suas partes pertraxisset, bellum renouauit.

Etsi autem sociorum auxilijs persecutus illos, qui ad mandata Pontificis ab ipsius fide discesserant, Turingiam euastauit: tamen conseruare Imperium non potuit. Præcipui enim & potentissimi Germaniæ Principes,

Principes, Rex Boëmiæ, Bauarus, Saxoniæ Dux, & alij, ex Sicilia Fridericum Secundum euocarunt, non tàm studio peculiari erga Pontificem, quàm odio OTTONIS, quòd insolentis ac prætumidi ingenij inepto fastu exalto despiceret cæteros Principes: & recordatione promissi veteris, amoreq; & admiratione maiorum FRIDERICI. Hic iam ad Brisacum Alsatiæ accesserat, & Haganoën hosti addictam oppugnabat. OTTO illi occursurus cum à socijs desereretur, & hosti se animaduerteret imparem fore, Saxoniam repetijt. FRIDERICVS progressus totam ad Rhenum Germaniam occupauit: susceptaq; Aquisgrani corona, & inito cum PHILIPPO Franciæ Rege fœdere, inde in Sueuiam se contulit.

Confœderationem Imperatoris & Franci cum Angliæ Rex suspectam haberet, & odisset Francum, promissione auxiliorum OTTONEM attraxit in Belgicum. Ita ibi bellum recruduit, quod tamen diuturnum non fuit. OTTO enim à Francis profligatus, à suis derelictus, & belli sumtibus exhaustus destitit ab Imperio sponte, quarto postquam id suscepisset anno. Idem quinq; postquam Imperium deposuisset annis exactis, rebus humanis exemtus est fluxu alui dysenterico: sepultus Brunsuuigæ: Anno Christi millesimo, ducentesimo, decimo octauo: Anno Mundi quinquies millesimo, centesimo, octuagesimo.

Hoc

Hoc exitu pœnas persoluit, de affectato per ambitionem & iniustis armis quæsito imperio extra vocationem & ordinem Pontificum impulsu. Fuit enim non dissimilis aui patrisq; ingenio & fortuna, illo elatus & insolens, hac infelix.

Vxores habuit duas. Primam Mariam filiam Ducis Brabantiæ, quam repudiauit ob consanguinitatem: Alteram Beatricem filiam Philippi Imperatoris: Ex neutra sobolem sustulit. Decessit & sine sobole masculâ frater OTTONIS Henricus Palatinus ad Rhenum, cuius filiam Agnetem LVDOVICVS Bauarus cùm despondisset OTTONI filio, circiter annum Christi millesimum, ducentesimum, decimum quintum, perfecit apud FRIDERICVM Imperatorem, vt Palatinatus ad Rhenum ipsius beneficio Bauaris adiungeretur.

Natæ sunt hoc seculo in Ecclesia plures at diuersæ Monachorum familiæ, veræ pietatis, doctrinæ Christianæ, & disciplinarum ac liberalium artium pestes publicæ. Fuêre duæ, quæ vnum autorem Bernhardum professæ, legibus, moribus, cultuq; inter se plurimum discrepârunt: Vnius se familiæ socij pauperes Lugdunenses: Alterius Humiles Italos nominârunt. Hi in oculis hominum viuebant, concionabantur, interpretabantur scripturas: Illi contemnebant

opes, emendicato ostiatim cibo victitabant, exempla Apostolorum iactitabant. His repudiatis à Pontificibus successerunt aliæ, quæ, vt superstitio fœcunda est, & errorem ex errore parit, ita vana hypocriseos specie ita sese effuderunt, vt non multorum annorum spacio, prouentu penè incredibili, sed varietate monstrosa in omnes Occidentis angulos sese disseminarint, & in aulis, Gynæceis atq; vrbibus penè soli dominati sunt, interq; sese crudelibus odijs & machinationibus de principatu sint digladiati linguis, non armis. Conditores celebrant Franciscum et Dominicum, quorum hunc Hispania, illum Assisium, Vmbrorum oppidum in Italia produxit.

Carmelitas in Europam ex Asia euomuit Carmelus mons, colonias ducente ALBERTO quodam Patriarcha Hierosolymitano. Eremitas genuit Gallia, familiam condente VVILHELMO Aquitaniæ Duce & Pictauiensium Comite, vt seflarentur Augustini dogmata & vestigia, quem profiterentur nomine: sicut Græci Monachi, quos Calogeros vocant depraua ta dictione, quasi καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς, Basilium iactitant,

Consilium primorum autorum fortasse malum non fuit. Quòd enim in Collegijs opulentioribus Sacerdotum & Monachorum iam regnarent luxus & helluationes: studia verò doctrinæ & pietatis exoleuissent, Sacerdotibus occupatis ambitioso Regum & Principum splendore & politica gubernatione: labantem Ecclesiæ disciplinam fulcire, atq; ad seueriorem viuendi rationem reuocare hos voluisse conijcio: quæ res cum sapientibus viris probatur, citò creuerunt familiæ concursu magnæ multitudinis, hypocrisi admirationem augente.

Sed cum animos iam teneret profunda superstitio, & Pontificum tyrannis inualuisset: mox hæ familiæ conuersæ ad studium defendendi ac stabiliendi præsentem statum, adeò cumulauerunt priora nouis errorum ac superstitionum commentis, vt quod adhuc reliquum fuit lucis in dogmatibus, prorsus obruerint atq; extinxerint. Aliud enim prorsus & nouum fabricarunt doctrinæ genus: Aliud instituerunt operum genus: vtrumq; Philosophiæ potius quàm fidei analogon, & præsenti Monarchiæ Pontificum, quàm regno Christi accommodatius: Sed hypocrisi fucatum vtrumq;. Corruperunt doctrinam de peccato: de caligine in mente & de vitijs in voluntate nihil dixerunt & morbum, qui reliquus est in renatis, finxerunt non esse malum pugnans cum lege DEI: Deinde concupiscentiam de sensibus & appeditione naturali intellexerunt, quam debebant intelligere ἀταξίαν appeditionum, & simul complecti caligi-

mentis & vitia voluntatis. Legem Dei prorsus trãsformarunt in Philosophiam, quæ tamen de ciuili disciplina loquitur: & dixerunt legi Dei satisfieri per hanc disciplinam ciuilem seu Philosophicam, id est, per externa opera & qualemcunq; conatum voluntatis, etiamsi in mente dubitationes, in voluntate & corde multæ prauæ inclinationes maneant: Has ipsas etiam dubitationes & prauas inclinationes docuerunt non esse peccata. Inde detexuerunt alia commenta, quibus deleuerunt Euangelij promissionem & totum beneficium filij Dei: quòd fixerint homines iustos esse coram Deo, id est, Deo acceptos propter opera, non fide gratis propter Mediatorem Christum, quæ est perpetua doctrina Prophetarum & Apostolorum.

Discrimen Legis & Euangelij prorsus sustulerunt. Tradiderunt enim legem esse triplicem, Naturæ, Mosaicam & Euangelicam: & quòd statuerunt hominem Legi Dei satis facere, excogitarunt priuata audacia alia opera & alios cultus, quos & prætulerunt longè operibus præceptis in lege, & mercede ac precio applicarunt alijs. Quàm absurda commenti sunt de perfectione? Mendicitatem suam, quam vocarunt discessionem spontaneam à facultatibus, & impurum cœlibatum, ac similia Monastica, quantis extulerunt laudibus? Deniq; impudenter uitæ Monasticæ genus institum esse prædicarunt ad pro-

promerendam remissionem peccatorum & iustificationem, & finxerunt esse statum perfectionis, ac longè euexerunt supra alia vitæ genera à Deo ordinata.

Introduxerunt & stultas imitationes politiæ Mosaicæ: voluerunt q; in Christianismo simile Sacerdotium, similes Ceremonias, talia Sacrificia institui oportere, cuiusmodi Mosaica fuerunt: quæ omnia nata sũt exinscitia discriminis inter legem & Euangelium.

Doctrinæ de pœnitentia quantas offuderunt tenebras disputationibus inextricabilibus, quæ fuerunt horribiles carnificinæ conscientiarum? Onerarunt conscientias mandato confessionis, & laqueis implicarunt enumerationis peccatorum: Absolutioni detraxerunt efficaciam omnem, cum negarunt prodesse sine meritis præcedentibus: & præceperunt manendum esse in perpetua dubitatione. Præterea imposuerunt certorum operum necessitatem confessis, & indixerunt humana autoritate expiationes peccatorum, quas satisfactiones vocarunt pro peccatis, ad promerendum liberationem à pœnis æternis: quæ pepererunt & auxerunt alias nouas opiniones, plenissimas mendacijs, impietate & blasphemijs in Deũ, de votis Monarchorum, de applicatione Missæ pro viuis & mortuis, de peregrinationibus ad loca Sanctorũ, de indulgentijs, de purgatorio, & similes alias superstitiosas obseruationes commenticiorum & inanium operum, discrimininis ciborum, dierum, vestium, imaginum, votorum, supplicationum, ieiuniorum

& aliarum traditionum humanarum: quæ quanto pondere trepidas conscientias pressérint, quanto pauore compleuerint, quibus constrinxerint laqueis, Monachis et carnificum munia obeuntibus, & noua tormentorum genera subinde cudentibus, non est ignotum.

Omitto hic commemorationem Idolatriæ, quæ fuit in cultu Sanctorum, adoratione consecrati panis, Missarum venditione & applicatione pro alijs ex opere operato, in Ethnicis pompis supplicationum & processionum. Alibi enim copiosius recitantur, & refutantur manifestis doctrinæ sacræ testimonijs in scriptis nostrorum.

Hæc monere hoc in loco volui, vt consideretur, qualem hi noui doctores, qui fuerunt non ministri Ecclesiæ Christi, sed Pontificum satellites, conscientiarum Carnifices, superstitionis barbaricæ architecti & antistites, omnis doctrinæ liberalioris iurati hostes: qualem ergo hi peperint doctrinam & quando tyrannis horum, quæ intolerabilis fuit Orbi Christiano, esse cœperit, & sit confirmata. Etsi autem autoribus primis nec sincerum pietatis studium, nec eruditionem derogo: & fuisse in illis Collegijs plurimos omni tempore consentaneum est, qui excitati diuinitùs, dogmata quæ recensui, & flagitia atq; improbitatem vitæ in Collegijs taxarunt: sicut multorum exempla meminerunt maiores nostri ante Lutherum: tamen hac proxima ætate Monasteria in genere quid fuerunt

fuerunt aliud quàm officinæ superstitionis Ethnicæ, & latebræ hominum imeruditorum, refertæ mendacijs & Idolatria, in vita horum molli atq; affluente, & tacitè flagitiosa, plena hypocrisi? Horum imposturas & præstigias retectas, & incisa esse vincula, quibus conscientias excruciarunt, luce veræ doctrinæ DEO gratias agamus, & precemur vero intimorum pectorum gemitu, vt in hac extrema & delira Ecclesiæ ceu senio fathiscentis ætate, doctrinæ lucem conseruet, & tollat dissidia docentium in Ecclesia, ac sanat vulnera, vt sint qui ipsum rectè in uocent ac celebrent in agnitione & fiducia Filij Mediatoris IESV CHRISTI, vsq; ad gloriosam resuscitationem mortuorum

Amen.

ΘΕΩ ΔΟΞΑ.